



HARVARD
COLLEGE
LIBRARY.

DE INTERIECTIONUM

APUD

SOPHOCLEM EURIPIDEMQUE

USU, SIGNIFICATIONE, RATIONIBUS METRICIS

PARS PRIOR.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM IENENSIUM ORDINE

RITE IMPETRANDOS


RICARDUS MÜLLER, Ph. D. of Jena.

SAXOALTENBURGENSIS.

IENAE,

TYPIS I. HOSSFELDII.

MDCCCLXXXV.


HARVARD COLLEGE
DEC 29 1898
LIBRARY

Si poetarum Graecorum tragoedias accuratius perscrutamur, corruptelas istas mendasque, quas tot in locos earum irrepsisse valde dolemus, ut removeamus dantes operam, haud ita raro nos exercent illae exclamationes, quae toties adhibitae a veteribus poetis tragicis varios exprimunt animi affectus. Nam cum haec epirrhemata usurpata cum condicionibus similibus similia saepe videantur significare cumque codices pro talium vocum natura incerta atque commutabili parum sibi constent multis in locis ineptissimos errores proferentes, saepe videtur dubium vel in universum quod epirrhema tanto ex numero sit ponendum, vel qua specie indutum, vel quotiens repetitum vel utrum prorsus sit e contextu verborum reiciendum necne. Accedit, quod in canticis, de quibus praecipue nimirum est quaestio, tales exclamationes ita saepenumero se offerunt, ut difficillime in rhythmum iniciantur, quin etiam haud ita raro nullum omnino metrum videantur sequi. Quibus de causis non videtur ineptum, accuratius paulo in eas inquirere, cum res quasdam ~~nos~~ indagasse nobis videamur ad earum naturam incertam, ut videtur, illustrandam idoneas. In hac vero dissertatione eis tantum exemplis liceat uti, quae collegimus ex Sophoclis Euripidisque fabulis, cum quae in Aeschyli tragoediis enucleavimus alio loco adicere nobis in animo sit.

Sed iam accedentibus nobis ad priorem nostrae dissertationis partem pauca de harum vocum origine videntur praemonenda. Neque enim dubium est, quin ad unam omnes eae ita natae sint, ut animi quendam affectum non certis verbis demonstrarent, sed voce emissa pro tempore et re in universum tantum indicarent vel quasi depingerent. Postea vero, cum saepius usurparentur ad eundem animi motum significandum, fieri non potuit, quin hac voculae ab initio onomatopoëticae[1]), ut ita dicamus, certiore notione praeditae constantem sibi speciem assumerent, quin etiam ut cetera verba constructionis cuiusdam normis subjungerentur. Attamen non omnes in eundem modum hanc commutationem perpessae sunt, sed inveniuntur nonnullae, quae vim atque naturam illam onomatopoëticam conservaverint. Quod primum patet ea ex re, quod pleraeque quidem pro vi atque significatione aucta saepius repetitis extremis syllabis ampliore induuntur specie, porro vero, quod nusquam ut e ceteris vocabulum aliud ex eis pendet. Pertinent autem huc primum *παπαί* (*ἀπαππαπαῖ* etc.) *ἀτταταῖ*, *ὀτοτοῖ*, de quibus deinceps nunc nobis agendum est.

I.

παπαῖ.

Ac primum quidem, cum de *παπαῖ* vocula sit quaestio, statuendae sunt hae formulae: 1. *παπαῖ*. 2. *παπαπαῖ*. 3. *ἀπαππαπαῖ*. 4. *παππαπαππαπαῖ*. 5. *παπαππαπαππαπαππαπαῖ*, e quibus

1., id, quod est *παταῖ* onomatopoëticam illam vim iam aliquam in partem videtur amisisse. Extat autem

---

1) vel similiter usurpatae, sed liceat nobis hac voce uti, quamquam eam non prorsus in rem quadrare non ignoramus.

a. solum ac semel quidem positum ut in Phil. v. 895 παπαῖ· τί δῆτ' ἂν δρῷμ' ἐγὼ τοὐνθένδε γε[1]); cum geminatam hanc voculam recte arbitremur restituisse Musgravium in Eurip. Suppl. v. 1132 pro ἄπαιςἄπαις lectione inepta, in qua sensus non inesset.

b. coniungitur idem vocabulum cum μάλα vel μάλ' αὖθις adverbiis, ita in Soph. Phil. vv. 785/86: παπαῖ φεῦ · | παπαῖ μάλ', ὦ πούς, οἷά μ' ἐργάσει κακά[2]).

c. ut in hoc exemplo accedit alterum epirrhema, ita in Eurip. Alcest. v. 226, in quo, quanquam in codicibus corruptus tradatur, quin complures interiectiones exstiterint, vix est dubium[3]).

Quod vero attinet ad huius vocis significationem, primum non est neglegendum, Herodianum grammaticum eam afferre in numero σχετλιαστικῶν ἐπιῤῥημάτων cf. ed. Lentz. I, 503, 2 sqq., sed cum idem concedat se haud ignorare „τὴν συνήθειαν τὸ παπαῖ ὀξύνειν[4]), tamen patet eum ipsum παπαῖ vel ἀπαπαῖ circumflexo cum accentu exhibitum rectam ducere scripturam. Quod aperte praescribit alio loco (Lentz. II, 933): Χαμαί· οὐδὲν εἰς αι λῆγον ἐπίῤῥημα ὑπὲρ μίαν συλλαβὴν ὀξύνεται, λέγω δὲ μὴ σχετλιαστικόν. τὰ δὲ τοιαῦτα καὶ ὀξύνεται, εὐαί, βαβαί, καὶ περισπᾶται ἀταταῖ, αἰαῖ, παπαῖ etc.[5]).

Sed iam accuratius inquiramus in hoc vocabulum, quae sit propria eius vis atque notio. Qua in re primum a ceteris exemplis secernenda sunt ea, in qui-

1) de ceteris locis huc spectantibus cf. pag. 6, 7.
2) cf. praet. Soph. Phil. 792, 93.
3) q. de l. post. ag.
4) cf. Arcad. περὶ τόνων ed. Barker p. 183, 18.
5) cf. praet. Etym. Gud. 491, 19. Io. Alexand. τον. παραγγ. ed. Dindorf. p. 36, 18.

bus coniunctum cum aliis epirrhematis adhibetur ad lamentationes acriores efficiendas, ut in Eurip. Alcest. v. 226, quem supra attulimus, non aliter atque in Suppl. v. 1132, ubi παπαῖ vox geminatur. Accedunt praeterea Soph. Phil. vv. 785/86 et 792/93 ubi παπαῖ φεῦ vel φεῦ παπαῖ legitur, quos ad locos id praeterea est annotandum, παπαῖ interiectionem ut longiores illas formas, de quibus postea erit disputandum, dici de corporis malis, quae notio etiam subiecta est παπαῖ soli in eiusdem tragoediae v. 745. Quod vero attinet ad ceteros locos, ubi hanc voculam reperimus, recte in universum Herodianus ceterique grammatici, quorum supra facta est mentio, eam appellant σχετλιαστικὸν ἐπίῤῥημα i. e. doloris exclamationem, cum uno in versu, Eurip. Cyclop. 572, significetur delectatio coniuncta cum laetitia atque admiratione. Cyclops enim vinum ab Ulixe acceptum potus exclamat: παπαῖ; σοφόν γε τὸ ξύλον τῆς ἀμπέλου.

Restat, ut pauca addamus de hac voce σχετλιαστικῶς usurpata, ut eam, quam maxime potest fieri, a ceteris epiphonematis, quibus similis subest vis, segregemus. Quanquam vero e quinque locis huc pertinentibus in unoquoque fere varia aliqua doloris species perspicitur, tamen in omnibus id est animadvertendum παπαῖ σχετλιαστικῶς exclamari non in longiore alicuius lamentatione, sed in duorum dramatis personarum sermone sive melicis in partibus obvio sive in ipso diverbio. Exprimere enim videtur παπαῖ dolorem quendam nova atque nondum nota vel nondum commemorata quidem re subito alicui iniectum vel denuo excitatum. Ita leguntur in Soph. Oed. Col. vv. 542 sqq. haec:

XO. δύστανε, τί γάρ; ἔθου φόνον
OI. τί τοῦτο; τί δ' ἐθέλεις μαθεῖν;

ΧΟ. πατρός; ΟΙ. παπαῖ, δευτέραν ἔπαισας ἐπὶ νόσῳ νόσον.

Similiter παπαῖ dicitur in Eurip. Cyclop. v. 110, cum angorem potius sed similem in modum natum significet in Eurip. Herc. fur. v. 1120. Doloris denique notioni admiscetur commiserationis vis in Soph. Elect. v. 867, cum poenitentia facti inhonesti subito nata coniuncta cum trepidatione et consilii inopia indicetur in Soph. Phil. v. 895. Sed iam transeuntibus nobis ad ceteras, quas supra ascripsimus, παπαῖ interiectionis species primum pauca dicenda sunt de παπαπαῖ voce, quam recte restituisse censemus Lentingium in Eurip. Cyclop. v. 503, ubi codices similiter atque in Sophoclis illo loco, quem subinde tractabimus[1]), hanc vocem ineptissime discerptam in πᾶ πᾶ πᾶ syllabas praebent. Est autem παπαπαῖ hoc loco laetitiae exultationisque exclamatio Cyclopis ab Ulixe ebrii facti[2]). Ab hac denique prorsus alienam significationem ostendunt longiores gravioresque lamentationis formulae, quae inveniuntur in illo Philoctetae Sophocleae loco, ubi hic, postquam diu studuit morbum foedissimum dissimulare, summa vi eius superatus, magna voce ingemiscere atque vociferari cogitur, exclamans v. 745 sqq.: ἀπόλωλα, τέκνον· βρύκομαι, τέκνον· παπαῖ | ἀπαππαπαῖ, παπαππαπαππαπαππαπαῖ. et in v. 754: παππαπαππαπαῖ.

Quos locos, cum codices ineptias habeant[3]), Her-

1) cf. p. 8 annot. 1.

2) simili cum vi atque notione etiam βαβαί et παπαιάξ in eadem fabula satyrica extant in vv. scil. 156, 152, de quibus ab Aristophane saepius usurpatis cf. diss. quam conscripsit A. Schinckius de interiectionum epiphonematumque apud Aristophanem vi atque usu p. 15, 29.

3) Ita reperiuntur in cod. La. v. 746 interiectiones sic

mannus ad integros restituit. Neque vero neglegenda sunt, quae idem vir doctissimus annotat de horum epirrhematum vi onomatopoëtica docens [1]: „In quibus manifestus est ingravescens vehementissimi cruciatus impetus. Aptissime autem illa crebra repetitio litterae π palpitationem oris et maxillarum, quae huiusmodi dolorum propria est, exprimit.“

Eandem naturam aperte prae se ferens invenitur praeterea in eodem Philoctetae loco huic simillima exclamatio

II.

ἀτταταῖ

quae non aliter corporis hunc dolorem vehementissimum significat. Cuius vocabuli de scribendi ratione Jo. Alexandrinus ed. Dindorf p. 36, 12 sqq. haec praescribit: *Τὰ δὲ σχετλιαστικὰ τῶν εἰς οῖ καὶ αῖ ἄλογον ἔχει τὸν τόνον. ἃ μὲν γὰρ αὐτῶν περισπᾶται, ὡς τὸ ὀττοῖ ἔχον συμπαρακείμενον καὶ τὸ ἀτταταῖ καὶ τὰ οἰοῖ καὶ αἰαῖ, σαβοῖ τε, καὶ τὸ αἰβοῖ καὶ τὸ σαβαῖ παρ' εὐπόλιδι ἐν βάπταις* [2]). Occurrit autem in vv. his: Soph. Phil. 742

---

scriptae atque interpunctae: *ἀπαπαπᾶ. παπᾶ. πακᾶ. παπαπαπαῖ.* Quae mira interpunctio ea ex re nata videtur esse, quod scriba quidam, cum vox longior atque ignota, in qua facile oculi aberrare possent, se ei offerret, hanc punctis in singulas illas partes iambicas divisas descripsit. Similia perfecit in v. 753 non punctis sed accentibus in ictibus singulorum iamborum positis, cum scriberet *πάπαπάπᾶπαῖ*. quo in loco, ut codex optimus testis est, errore cognito post illos accentus addidit alteram π litteram. Recte igitur hoc in versu primus Brunckius id quod est *παππαπαππαπαῖ* in contextum verborum recepit (nisi quod *ὀξυτόνως* scripsit).

1) cf. eius ad h. vers. annot.

2) cf. praet. Herod. ed. Lentz. II, 933. II, 428 (Theogn. 158, 25) Arcad. 183, 18.

sqq. *ΦΙ. ἀπόλωλα, τέκνον, κοὐ δυνήσομαι κακὸν | κρύψαι παρ' ὑμῖν, ἀτταταῖ· διέρχεται* etc., similiter in versiculo breviore senariis inserto 790. Quos ad locos cum nihil sit, quod adiciamus, iam nos convertamus ad tertiam

III.

ὀτοτοῖ

interiectionem, quae ut eae, quas in antecedentibus tractavimus, permultis in locis librorum veterum corruptelas quasdam est perpessa. Sed cum haec menda a codicum scribis talibus in rebus neglegentissimis inepte admissa, quippe quae vix aliter tollere possimus, nisi metri diligentissime ratione habita, ut removeamus, postea navaturi simus operam, cum de harum vocularum rythmicis condicionibus universis erit disquisitio, hic sufficiat primum singulas huius vocis formas annotasse, tum paucis exposuisse, quam vim ei subesse arbitremur. Occurrunt autem pro affectus vi atque gravitate species eius haec:

1) *τοτοῖ* in Eurip. Orest. v. 1389, praeterea in Soph. Elect. v. 1245 (quo quidem in loco coniungitur cum *ὀτοτοτοτοτοῖ* forma).

2) *ὀτοτοῖ* in Eurip. Androm. vv. 1197. 1200.

3) *τοτοτοῖ* in Trach. v. 1009.

4) *ὀτοτοτοῖ* in Herc. fur. v. 875 [1]). Phoen. 1530.

5) *ὀτοτοτοτοτοῖ* in Soph. Elect. v. 1245, quem supra commemoravimus, et in Eurip. Troad. vv. 1287. 1294.

6) *ὀτοτοτοτοτοτοῖ* in Eurip. Jon. v. 789.

Porro quod attinet ad huius voculae scribendi ra-

---

1) quem versum Hermannus restituit, cum cod. *ὀτοτοτοτοτοί* praebeat.

tionem notionemque, primum de accentu conferendus est Arcadius περὶ τόνων ed. Barker. p. 183, 18: Τὰ εἰς οι καὶ εἰς αι σχετλιαστικὰ παραλόγως περισπῶνται, ὀττοττοῖ, εὐοῖ, παπαῖ, ἀτταταῖ, πλὴν τοῦ αἴ, οὐαί, βαβαί· etc. [1]), quo in praecepto illam τ litteram inepte duplicatam perspicuum esse errorem elucet ex eorum, quae supra ascripsimus, exemplorum rationibus metricis. De significatione vero in universum rectum vidit Hesychius docens: ὀττοτοῖ θρηνῶδες ἐπίφθεγμα. Utuntur enim his voculis, qui cum fletu ingemiscentes incipiunt vehementius lamentari sortem aut suam aut aliorum infelicem, ut chorus in Eurip. Herc. fur. v. 875: *ΧΟ.* ὀτοτοτοῖ, στέναξον, ἀποκείρεται | σὸν ἄνθος πόλεος, ὁ Διὸς ἔκγονος. vel in Androm. v, 1197 sqq.: *ΧΟ.* ὀτοτοῖ.· | θανόντα δεσπόταν γόοις | νόμῳ τῷ νερτέρων κατάρξω. *ΠΗ.* ὀτοτοῖ· | διάδοχα δ' ὦ τάλας ἐγὼ | γέρων καὶ δυστυχὴς δακρύω.

IV.

ἓ ἕ.

Similem deinde in modum atque haec, quae pertractavimus, epiphonemata etiam ἕ voculam esse intelligendam valde fit probabile, si accuratius in eius usum inquirimus. Usurpatur enim haec exclamatio ac semper quidem bis posita alio vocabulo non addito, nisi altera interiectione. Ita extat

1) prorsus sola aut primo in sermone aut extremo ut in Eurip. Troad. v. 278: *ΕΚ.* ἓ ἕ. | ἄρασσε κρᾶτα κούριμον etc. vel in Eurip. Hel. v. 166. ...

---

1) cf. praet. Io. Alexandr. 36, 12. Apollon. περὶ συντ. in Bekk anecd. 588, 26.

ἢ τίνα μοῦσαν ἐπέλθω | δάκρυσιν ἢ θρήνοις ἢ πένθεσιν; ἒ ἔ [1]).

2) additur igitur alterum anaphonema ut in Soph. Elect. vv. 827 et 840: ἒ ἔ *αἰαῖ* et ἒ ἔ *ἰώ*, cum uno in versu Trachin. 1025 hoc sequatur substantivum vocativo cum casu: ἒ ἔ *ἰὼ δαῖμον*.

Sed iam exoritur quaestio, quam significationem huic voculae attribuamus. Qua in re si primum inspicimus veteres grammaticos, apud Suidam hanc rereperimus annotationem: *Ἒ ἔ· ἐπίῤῥημα σχετλιαστικόν* [2]).

Quod praeceptum etsi in universum rectum esse non negamus, est enim etiam ἒ ἔ ut nimirum fere omnes interiectiones apud tragicos obviae dolentis quoddam epiphonema, tamen propriam certamque doloris vel lamentationis potius speciem hac voce indicari nobis persuasimus, cum onomatopoëtice ita putemus eam esse adhibitam, ut dicatur de gemitus et suspiritus quodam genere flentium: incepturus enim flere in singultus aliquas voces, nec crebras quidem, solet prorumpere his ἒ ἔ litteris carptim effusis simillimas. Quae flendi notio nonnullis in locis aperte indicatur, cum sive in antecedentibus sive in sequentibus fletus aliqua mentio fiat. Ita dicitur in Soph. Elect. vv. 827, 28: *ΗΛ.* ἒ ἔ *αἰαῖ ΧΟ. ὦ παῖ, τί δακρύεις*; vel in Eurip. Iph. Taur. v. 147: ἒ ἔ, *ἐν κηδείοις οἴκτοισιν, οἶαί μοι ξυμβαίνουσ' ἆται, ξύγγονον ἁμὸν κατακλαομένᾳ* etc. [3]). Accedit, quod ἒ ἔ imprimis a mulieribus exclamatur, ita in his locis:

---

1) quo de loc. post ag. ceteri vero loci, ubi sola invenitur, enumerati sunt in p. 12.

2) cf. praet. Zonar. s. v., Etym. Magn. s. v. *Ἔλεγος* p. 326, 49.

3) cf. praet. Eurip. Hel. v. 166.

in Soph. Elect. vv. 827, 840. Eurip. Helen. vv. 661, 662, 166. Elect. 150. Supplic. 85. 1074. Iph. Taur. 147. Troad. 168. 278. 1216. 1303. 1318, cum a viris usurpetur in Soph. Trach. vv. 1004. 1014. 1025. in Eurip. Alcest. vv. 874. 890. Herc. fur. v. 1025. Hippol. 1354. Qua cum sententia de onomatopoëtica huius vocis vi tantum abest, ut discrepent illi loci, ubi ἓ ἕ alterum anaphonema sequitur, ut eam videantur commendare. In his enim is, qui flere atque ingemiscere incepit, dolore aucto in illas exclamationes prorumpit. Nonnulla denique adicienda sunt de Dindorfii sententia, qui ἓ ἕ scripturam a codicibus miro consensu traditam ne in uno quidem loco retinet, sed eam prorsus e contextu reicit aut ἐή aut αἰαῖ recipiens [1]). Quod se fecisse non suo arbitrio profitetur, sed poetis ipsis iubentibus: nullum enim extare exemplum, ubi metrum pyrrhichium postuletur. Quam animadversionem non esse probandam postea ostendemus, cum de prosodiae metrique legibus agemus, hoc loco id sufficiat annotasse hanc voculam hac in re liberius usurpari iam ex onomatopoëtica eius natura aliquam in partem patere. Neque illa ἐή vox, quam Dindorfius metricis istis de causis exhibet, in hanc fletus atque singultus significationem magis videtur quadrare. Porro vero id est observandum mirum esse erorem ἓ ἕ lectionem, quam hic vir doctus tragicorum codices ita pervasisse dicit, ut ne unum quidem supersit rectae exemplum scripturae ἐή, praesertim cum illi grammatici, quos supra attulimus, hanc codicum scripturam confirment. Unum denique tantum in locum talis sensus omnino non videtur esse aptus, cum terroris potius ex-

1) cf. praef. ad. Aeschyl. ed. Lips. ann. 1857 p. XXXII, et praef. ad poet. scen. p. X (annot. ad Aesch. Prom. v. 65).

clamatio desideretur, in Phoenissarum scilicet illum locum, ubi Antigona de domus tecto prospiciens hostium permagnum exercitum summa capta admiratione atque horrore Tydei ingentis illius fortissimique Polynicis amici splendidis cum armis ingredientis exclamat in v. 127: *AN.* ἒ ἔ ὡς γαῦρος, ὡς φοβερὸς εἰσιδεῖν | γίγαντι γηγενέτᾳ προσόμοιος | ἀστερωπὸς ἐν γραφαῖσιν, οὐχὶ πρόσφορος | ἁμερίῳ γέννᾳ etc. Putamus igitur hoc loco pro eo, quod est ἒ ἔ, ἔα esse restituendum, quod optime in loci naturam quadrat.

Quibus rebus pertractatis iam liceat nobis adicere alia nonnulla epirrhemata, quae ut haec semper inveniuntur sola, ac primum quidem

V.

εὐοῖ,

quod raro tantum in Sophoclis Euripidisque tragoediis occurrit: apud illum semel in Trach. v. 218., apud hunc bis in Bacchar. v. 141 et in Troad. v. 325, ubi ei antecedit εὐάν vocula simili subiecta notione. Est enim εὐοῖ, ut testantur veterès grammatici [1]), βακχικὸν ἐπίφθεγμα i. e. vox, quam ii solebant exclamare, qui Baccho deo inflammati laetitia ac furore exultabant. Ita adhibetur in illo quem modo ascripsimus, Sophoclis loco: εὐοῖ ἀναταράσσει μ' ἰδοὺ ὁ κισσὸς etc. Sed cum hoc vocabulum nonnulli grammatici exhibeant acuto cum accentu [2]), circumflexum poni debere certis verbis docet Arcadius p. 183, 18, quem locum supra attulimus [3]).

---

1) cf. Herod. ap. Theogn. 158, 19 (Lentz. II, 301). Phot. Zonar. s. v.

2) ut iidem, quos modo attulimus.

3) cf. praet. Apollon. in Bekk. anecd. p. 588, 26. prae-

Iam sequuntur eisdem adhibitis usus condicionibus ἆ et ἔα interiectiones, quarum prior

VI.

ἆ

1) aut semel ponitur, ut in Eurip. Alcest. v. 526: *ΗΡ.* ἆ, μὴ πρόκλαι' ἄκοιτιν, εἰς τότ' ἀναβαλοῦ [1],

2) aut bis, ac plerumque quidem, ita in Eurip. Hecub. v. 1069: ἆ ἆ | σῖγα· κρυπτὰν βάσιν αἰσθάνομαι etc. [2])

3) aut quater repetitur. Quem vocularum numerum in iis, de quibus agimus, fabulis tres solum loci praebent, e quibus duo petiti ex Sophoclis Philocteta vv. scil. 732 et 738 in codice optimo La a prima manu binas in unam vocem discriptas neglecto ut saepe accentu offerunt, quae scriptura postea ab altera manu correcta est ἆἆ ἆἆ scribente, cum in tertio loco, in Rhesi Euripideae v. 749 haec lectio sola exhibeatur. Quaeritur igitur, quae scribendi ratio maxime sit probanda. Sed cum omnibus in Euripidis versibus, ubi haec exclamatio iteratur, secretae singulae litterae a codicibus tradantur, cumque grammatici veteres de ἀᾶ scriptura taceant, et cum tertium ἆ vox semel posita re vera multis in locis occurat, illam ἀᾶ lectionem, quam Dindorfius similiter atque αἰαῖ probandam cen-

---

terea de huius vocis interaspiratione Herod. l. c. (annot. 1.) Schol. in Dionys. gramm. in Bekk. anecd. p. 951, 19. Harpocrat. eod. loc. p. 89, 13. Etym. Magn. p. 391, 12.

1) cf. praet. Soph. Oed. Tyr. v. 1147. Phil. v. 1300. Eurip. Bacch. v. 810. Helen. 445. Herc. fur. 628.

2) simil. Eurip. Alcest. v. 28. Androm. 1076. Bacch. 586. 596. Herc. fur. 1052. Cycl. 565. Med. 1056. Orest. 145. 274. 1598. Rhes. 799.

set [1]), reicimus. Qua de re quoniam haec satis dicta videntur, in sequentibus pauca addamus de huius epirrhematis significatione, ac proficiscamur quidem a Suidae annotatione, qui docet ἆ usurpari μετ' ἐκπλήξεως καὶ παρακελεύσεως, quam explicationem omnes et Sophoclis et Euripidis loci, qui hanc voculam continent, videntur comprobare. Primum igitur exprimitur hac interiectione terror novis atque inexpectatis rebus alicui iniectus, ut in Eurip. Bacch. v. 586, in quo chorus bacchantium Thebanarum Penthei domo subito ruente vehementissime perterritus haec vociferatur: ἆἆ | τάχα τὰ Πενθέως | μέλαθρα διατινάξεται πεσήμασιν et in v. 596: ΧΟ. ἆ ἆ | πῦρ οὐ λεύσσεις οὐδ' αὐγάζει etc. Sed is, quem terror atque angor repente invadit, exclamatione aliqua emissa periculum imminens a se aut ab aliis studet arcere. Qua de causa cum illa ἆ voculae ἐκπλήξεως notione semper fere altera scilicet παρακελεύσεως commiscetur, quam maxime quidem impediendi potius vel retinendi speciem prae se ferre non mirum est propter universam horum locorum naturam. Ita Medea, secum reputans, utrum liberis occisis coniugem ulciscatur necne, ipsius consilio scelesto perterrita dicit in v. 1056: ἆ ἆ | μὴ δῆτα θυμέ, μή ποτ' ἐργάσῃ τάδε. Similiter in Eurip. Androm. v. 1076, ubi chorus, cum Peleum senem nuntio de nepotis morte allato animo relinqui summittique genu videat, exclamat: ΧΟ. ἆ ἆ, τί δράσεις, ὦ γεραιέ; μὴ πέσῃς· | ἔπαιρε σαυτόν. Eadem significatio perspicitur in iis locis, ubi id, quod est ἆ, semel collocatur, ut in Soph. Phil. v. 1300: ΝΕ. ἆ, μηδαμῶς, μὴ πρὸς θεῶν μεθῇς βέλος. Nonnullis deinde in locis ad terroris vel admi-

---

1) in lexic. Sophocl. s. v. ἆ. de huius vocis accentu cf. Arcad. p. 182, 8. Io. Alexandr. 31, 8.

rationis notionem indignationis quaedam vis accedit. Ita in Eurip. Alcest. v. 28: Θ ἆ ἆ | τί σὺ πρὸς μελάθροις; τί σὺ τῇδε πολεῖς [1]); Corporis denique dolorem ἆ vox indicat eis imprimis tribus locis, ubi quater extat, cum eandem significationem aperte prae se ferat geminata in Euripid. Rhesi v. 799: ἆ ἆ | ὀδύνη με τείρει, κοὐκέτ' ὀρθοῦμαι τάλας. Exemplorum huius voculae notionis agmen claudit versus Eurip. Cyclop. 157, ubi ἆ ἆ ἆ ἆ vel ἆ ἆ, quod cum Dindorfio exhibuerimus pro codicis ἆ ter posito, prorsus in diversam notionem transit, cum Silenus ea delectationem voluptatemque captam ex Ulixis vino exprimat.

In universum deinde similiter atque hoc usurpatur

VII.

ἔα epirrhema, quod

1) plerumque semel ut in Eurip. Suppl. v. 395: ἔα· λόγων τίς ἐμποδὼν ὅδ' ἔρχεται [2]);

2) tum nonnullis locis bis collocatum ut in Eurip. Heraclid. v. 73: ΧΟ. ἔα ἔα· τίς ἡ βοὴ βωμοῦ πέλας | ἕστηκε [3]); quamquam et ipsum adhibetur μετ' ἐκπλήξεως i. e. terroris atque angoris cum notione, tamen non prorsus idem valet atque id, quod est ἆ. Nam cum in hoc ad terroris notionem παρακελεύσεως, ut supra ostendimus, accedat, ab illa talis significatio discrepat. Quae differentia iam inde aliquem in modum

---

1) cf. praet. Soph. Oed. Tyr. v. 1147. Eurip. Helen. v. 445.

2) cf. praet. Eurip. Helen. v. 1177. Elect. 558. Herc. fur. 1088. Hippol. 1391. Iph. Aul. 1132. Rhes. 573 etc.

3) simil. Soph. Oed. Col. v. 1479. Eurip. Herc. fur. 815. Ion. 153. 170. Rhes. 674. etc.

patet, quod ἆ vocem plerumque enuntiatum, quod dicitur adhortativum sequitur imperativo cum modo vel similibus cum verbi formis eodem modo intelligendis [1]), haec ἔα contra semper fere in sequentibus interrogatione quadam certius quasi explicatur [2]). In illa igitur praevalet terroris vel metus potius notio: non enim videtur dubium ἆ exclamanti, quin nova illa res, quae praeter expectationem cadit in conspectum, ei sit perniciosa, qua de causa eam quasi a se retinere studet, hac in universum admiratio tantum subito excitata indicatur: nam vociferans rei naturam, qua commovetur atque perturbatur, videtur ignorare quanquam iam aliquam in partem angitur. Ita laetitia potius repente excitata significatur ἔα voce in Eurip. Herc. fur. v. 513: *ΜΕ.* ἔα· | ὦ πρέσβυ, λεύσσω τἀμὰ φίλτατ' ἢ τί φῶ. Praeterea vero terroris notio vix perspicitur in Eurip. Supplic. v. 395: ἔα· λόγων τίς ἐμποδὼν ὅδ' ἔρχεται; Καδμεῖος, ὡς ἔοικεν, οὐ σάφ' εἰδότι, κῆρυξ. etc. vel in Hippol. v. 856: *ΘΗ.* ἔα ἔα· | τί δή ποθ' ἥδε δέλτος ἐκ φίλης χερὸς | ἠρτημένη; θέλει τι σημῆναι νέον; aliis locis, cum ab aliis non abhorreat, sed hoc constat, παρακελεύσεως vim nusquam demonstrari posse. Invadit autem haec admiratio atque terror aliquem aut novis atque miris rebus subito exortis ut naturae prodigiis e. c. in Soph. Oed. Col. v. 1477: *ΧΟ.* ἔα ἔα, ἰδοὺ μάλ' αὖθις ἀμ-

1) ita in Soph. Phil. v. 1300. Oed. Tyr. 1147. Eurip. Alcest. v. 526. Androm. 1076. Hecub. 1069. Helen. 445. Cycl. 565. Med. 1056. Orest. 145. 274. 1598.

2) cf. Eurip. Androm. v. 896. Bacch. 644. 1280. Hecub. 501. 733. 1116. Helen. 71. 541. Elect. 341. 747. Heracl. 73. Herc. fur. 525. 1172 Suppl. 91. 395. Hippol. 856. 905. Iph. Aul. 317. Iph. Taur. 1157. Ion. 240. 1549. Cycl. 222. Med. 1004. Orest. 276. 1573. Troad. 298. 1256. Rhes. 674. 885.

φίσταται διαχρύσιος ὄτοβος.[1]) aut novis personis in scenam prodeuntibus ita deis ut in Eurip. Ionis v. 1549: ἔα· | τίς οἴκων θυοδόκων ὑπερτελὴς | ἀντήλιον πρόσωπον ἐκφαίνει θεῶν[2]); vel hominibus ut in Eurip. Hel. v. 541: ἔα, τίς οὗτος, οὔ τί που κρυπτεύομαι | Πρωτέως ἀσέπτου παιδὸς ἐκβουλευμάτων[3]);

Iam pergentibus nobis exponere, quid sibi velint cetera anaphonemata apud hos tragicos obvia, quae constructionem aliquam admittunt, initium est capiendum ab

VIII.

ἰού

vocula, quae raro tantum usurpata semper reperitur geminata. Ita

1., sola se offert in Soph. Aiac. v. 736 [4]).

2., coniuncta cum nomine ac nominativo quidem cum casu ut in Soph. Trach. v. 1143 aut cum vocativo ut in Oed. Tyr. v. 1071, quos locos postea ascribemus.

Porro vero, cum de huius epirrhematis accentu exoriatur quaestio, primum conferenda sunt, quae princeps ille in disquisitionibus grammaticis testis, Herodianus affert l. c. I, 417, 24: ἀλλ' ἐπὶ τῶν εἰς ευς εὐθειῶν ὀξυνομένων αἱ κλητικαὶ περισπῶνται, καθόλου γὰρ

---

1) aut aliis rebus, ut Eurip. Bacch. v. 1280. Iph. Taur. 1157. Ion. 240. Orest. 1572. Troad. 298 etc.

2) cf. praet. Eurip. Herc. fur. v. 815. Hippol. 1391. Rhes. 885.

3) cf. praet. Eurip. Bacch. v. 644. Herc. fur. 513. Suppl. 395 etc.

4) ubi tertium ἰού recte delevit Turnebus. praet. in Soph. Oed. Tyr. 1182. Oed. Col. 220. Phil. 38. Eurip. Hippol. 776. Cycl. 464. 576.

ἡ διὰ τοῦ ῦ δίφθογγος καταλήγουσα ἀπέστραπται τὴν ὀξεῖαν τάσιν· ἔνθεν σημειούμεθα τὴν οὖ ἀπόφασιν καὶ ἰδοὺ δεικτικὸν καὶ ἰοὺ σχετλιαστικὸν ἐπίῤῥημα etc.[2]). Quibus e testimoniis simul apparet, etiam ἰοὺ ἰού voce uti dolentes, sed ne haec quidem satis accurate a veteribus illis grammaticis est definita. Neque enim dubium potest videri ratione habita universae tantum eius speciei, quin ἰού non eandem vim ac significationem praebeat atque aliae interiectiones ut ἔα, αἰαῖ, οἴμοι etc., sed iam οὖ vocalis fusco sonitu aliquem in modum eius naturam perspicimus Indicatur enim ea quaedam praesensio incerta mali imminentis. Qui animi nimirum affectus propinquus atque similis universo dolori cum hoc saepe coniungitur, sed illud praesagium fati impendentis semper aliquo modo perspicuum, quod aut exclamantis est aut excitatur sive in aliorum dramatis personarum animis sive in spectatorum, propriam esse notionem huius vocabuli omnium locorum ex his duobus tragicis collectorum consensus demonstrat atque confirmat. Ita ἰού clamant personae subito discessu scaenam relinquentes, ut metum mali vel facinoris diri iniciant spectatoribus hoc iam praesentientibus. Ita Iocasta, quae Oedipi miserrimam sortem iam cognovit, cum hic adhuc nescius impendentis perniciei de origine sua pergat quaerere, de scaena decedens exclamat v. 1071:

IO. ἰοὺ ἰού, δύστηνε· τοῦτο γάρ σ' ἔχω | μόνον προσειπεῖν, ἄλλο δ' οὔποθ' ὕστερον. Conferendus est praeterea eiusdem tragoediae v. 1182: *OI.* ἰοὺ ἰού· τὰ πάντ' ἂν ἐξήκοι σαφῆ etc. Optime deinde hic sensus quadrat

---

1) cf. praet. Io. Alexandr. p. 32, 20. Arcad. 183, 25. Theodos. canon. in Bekk anecd. p. 1237. Suid. Hesych. s. v. Zonar.

in Oed. Col. v. 220, in quo cum codices corruptelas praebeant, significatione huius vocabuli ita certius constituta Nauckii aliorum ἰοὺ ἰού scriptura metro nullam afferens offensionem valde commendatur. Oedipus enim originem suam aperturus sorte sua summo dolore affectus dicit: *ΟΙ. Λαΐου ἴστε τιν'; ὤ* sed interrumpitur a choro iam suspicante gentem illius infelicem, quod indicat ἰοὺ ἰού exclamatione [1]). Adiciendi sunt praeterea Soph. Trach. v. 1143 et Phil. v. 38, de quo pauca nobis liceat exponere. Nam cum Dindorfius hoc loco exultationis vim indagasse sibi videatur, Wunderus fastidii sensum putat esse praeferendum. Sed etiam in hoc ut in ceteris versibus praesagium illud Philoctetae sortis miserrimae coniunctum cum commiseratione Neoptolemum velle exprimere nobis persuasimus. Eandem denique vim haec interiectio prae se fert, si nuntius vel alia dramatis persona in scaenam prodit novum malum nuntiaturus ut in Eurip. Hippol. v. 776: *ΘΕ. ἰοὺ ἰού· | βοηδρομεῖτε πάντες οἱ πέλας δόμων* etc. vel in Sophocl. Aiac. v. 737: *ΑΓ. ἰοὺ ἰού· | βραδεῖαν ἡμᾶς ἄρ' ὁτῖνδε τὴν ὁδὸν | πέμπων ἔπεμψεν* etc. Prorsus denique ab his, quae enumeravimus, exemplis abhorrent duo Eurip. Cyclop. versus, in quibus ut supra ἆ, παπαπαῖ etc. anaphonematis ἰού voce gaudium vel delectatio exprimitur, vv. scil. 464 et 576. Ut vero in universum proprium est artificium satyricae fabulae tragoediae ampullis et sesquipedalibus verbis exprimere res viles atque ridiculas, ita etiam haec epirrhemata σχετλιαστικά toties a tragicis in rerum discrimine adhibita non consilio omni neglecto suspicamur a poëta usurpari ad tales rudes atque incultas delectationis vel voluptatis exclamationes efficiendas. Attamen etiam

---

1) quo de loco postea uberius agetur.

in aliis locis in ἰού voce similis gaudii notio conspicua est, ut in Aesch. Agam. v. 25. Quam significationem ut certius indicarent et quasi ad oculos demonstrarent, grammatici quidam posteriores hoc ἰού ab illa lamentationis exclamatione videntur accentu segregasse ut Zonar. c. 1115 s. v. Ἰού. ἀντὶ τοῦ οἴμοι καὶ φεῦ μοι. Ἰοῦ ἰοῦ. ἐπὶ χαρᾶς. περισπᾶται. cf. praet. Tzetz. in Cram. anecd. Oxon. vol. 3 p. 364. schol. Arist. Pac. 316. Nub. 1170. Quorum testimoniorum auctoritas quin non multum valeat contra illorum optimorum testium fidem, quos supra attulimus de hac re tacentium, non dubium esse censemus. Sed haec hactenus. Venimus nunc ad

IX.

ἰώ

interiectionem, cuius frequentissimus est usus apud tragicos, quaeque et semel ponitur et bis repetitur. Ac

1., quidem invenitur sola, ut in Eurip. Suppl. v. 1113: ΧΟ. ἰώ, τάδε δὴ παίδων καὶ δὴ φθιμένων ὀστᾶ φέρεται. vel in eiusdem traegoediae v. 1127: ΧΟ. ἰὼ ἰώ· πᾷ δάκρυα φέρεις φίλᾳ ματρὶ τῶν ὀλωλότων [1]);

2., ac plerumque quidem coniungitur cum altero vocabulo, ac primum quidem cum nomine aut nominativo aut vocativo cum casu, ut praecipue cum τάλας, τλήμων, δύστανος adiectivis. Ita in Eurip. Med. v. 1274: ἰὼ τλᾶμον, ὦ κακοτυχὲς γύναι vel in Soph. Phil. v. 759: ἰὼ ἰὼ δύστηνε σύ, vel in Antig. v. 850 ἰὼ δύστανος [2]), sed pendet ex ea etiam aliud nomen ut

---

1) cf. praet. Soph. Aiac. v. 707. Oed. Col. 140. Eurip. Suppl. v. 1134. Ion. 1502. Cycl. 656. Phoen. 680. Rhes. 454 etc.

2) cf. praet. Soph. Aiac. v. 893. Oed. Col. 876. Elect. 150. Eurip. Suppl. v. 1077. Ion. 754 etc.

in Soph. Oed. Tyr. v. 1207: ἰὼ κλεινὸν Οἰδίπου κάρα [1]);

3., aptus est ex ea genitivus ut in Eurip. Phoen. v. 1723: ἰὼ ἰώ δυστυχεστάτας φυγᾶς [2]).

4., accedit μοι dativus ac primum quidem semel positus ut in Eurip. Supplic. v. 275: ἰώ μοι· λάβετε, φέρετε, πέμπετε, κρίνετε | ταλαίνας χέρας γεραιᾶς [3]). Qui casus etiam sequitur ἰώ geminatum ut in Eurip. Elect. v. 1197: ἰὼ ἰώ μοι· ποῖ δ' ἐγώ [4]); tum μοι vocabulum bis repetitur, ut in Soph. Aiac. vv. 937, 939: ἰώ μοί μοι, quod inprimis ii exclamant, qui in scenam prodeunt fortunam suam lamentantes. Ita Aias sortem suam queritur etiam extra scenam versans in Aiac. v. 333 et Teucrus in eiusdem tragoediae v. 974, quem ad locum scholiasta recte annotat: δεῖ γενέσθαι βοήν, ἣν ἀκούσας ὁ χορὸς ἐφίστησι γνωρίζειν τὸ φθέγμα τοῦ Τεύκρου βοῶντος, praeterea Tecmessa in eiusdem tragoediae v. 891, in quo alterum ἰώ falso additum primus Turnebus delevit, ad quemque scholiasta: φαίνεται δὲ οὐδέπω ἔνοπτος οὖσα τῷ χορῷ. Eandem scripturam recte Dindorfium putamus restituisse in Soph. Elect. v. 77, ubi hanc a foribus eadem exclamare ἰώ μοί μοι verisimile est. Addebatur autem in codicibus δύστηνος vocabulum, quod cum alii viri docti retineant Hermanno praeterea suadente ὤμοι μοι

---

1) simil. se offert ἰώ in Soph. Aiac. v. 339. Oed. Tyr. 1391. Oed. Col. 833. 1491. Eurip. Hec. 177. Ion. 752. 912. Phoen. 103. 1290 etc. et ἰὼ ἰώ in Soph. Ant. 1284. Eurip. Hippol. 1147. Orest. 1353. 1537 etc.

2) cf. praet. Eurip. Elect. v. 1185. simil. genitivus sequitur ἰώ vel ἰὼ ἰώ cum δύστανος τάλας adiectivis coniunctum ut in Eurip. Hyppol. v. 811. Med. 97.

3) cf. praet. Eurip. Herc. fur. v. 1031.

4) et eiusd. trag. in v. 1208.

Dindorfius omisit respiciens illos locos, de quibus paulo ante diximus. Opinatur enim hoc adiectivum vitiose e versu, qui sequitur, 80. a librario repetitum in hunc locum translatum esse [1]). Sed reperitur non solum *ἰώ μοί μοι* sed etiam *ἰὼ ἰώ μοί μοι* ut in Eurip. Suppl. v. 828: *ΑΔ. ἰὼ ἰώ μοί μοι κατά με πέδον γᾶς ἕλοι.* Quae formulae *ἰώ μοι* et *ἰώ μοί μοι* praeterea conectuntur et ipsae cum nomine quodam aut nominativo aut genitivo cum casu ut in Eurip. Herc. fur. v. 887: *ἰώ μοι μέλεος, | ἰὼ Ζεῦ,* et in Alcest. v. 393: *ἰώ μοι τύχας, μαῖα δὴ κάτω βέβακεν* etc. et cum utroque in Eurip. Hippol. v. 811: *ἰὼ ἰὼ τάλαινα μελέων κακῶν* [2]);

5., adiciuntur huic anaphonemata alia, ut in Soph. Oed. Col. v. 224: *ΧΟ. ἰώ, ὢ ὤ· ΟΙ. δύσμορος ΧΟ. ὢ ὤ,* sive in Eurip Hippol. v. 569: *ἰώ μοι αἰαῖ αἰαῖ* [3]).

Quibus rebus de constructione huius voculae expositis iam videamus, quae veteres grammatici et lexicographi de eius scribendi ratione atque significatione praecipiant. Docet autem Herodianus haec l. c. I, p. 507, 24: *τὸ ἰὼ ὀξύνεται ἀνακλητικὸν ὂν καὶ οὐκ ὂν παραγωγόν·* et Arcadius l. c. 182, 19: *Τὰ εἰς ω ὀξύνεται, ἰὼ ἰώ· τὸ δὲ τῆς κλητικῆς περισπᾶται, ὦ* [4]). Tum

---

1) cf. praet. Soph. Aiac. v. 336. (339). Eurip. Androm. 825. Quae condicio non perspicitur in aliis locis, ut i Soph. Aiac. v. 385. Oed. Col. 199, ubi tertium *μοι* in adiciendum esse postea ostendemus, Eurip. Alcest. 876. Elect. 129. 159. Med. 97. Troad. 281 etc.

2) cf. praet. Eurip. Alcest. v. 393. Med. 115. Phoen. 1289, 1508, quo de loco post. ag.

3) quo de loco post. ag. Adiciendi sunt vv. Eurip. Androm. 1175., quo de loco post. ag. Hippol. 364. Phoen. 1492.

4) cf. praet. Apollon. in Bekk. anecdot. p. 576, 15. eod. loc. schol. in Dionys. gramm. p. 942, 29.

etiam ἰώ usurpari σχετλιαστικῶς statuit Suidas s. v.: Ἰώ σχετλιαστικόν. Praeterea vero in Etym. Magn. haec Herodiani exstant praecepta, p. 481, 10: ἸΩ, τὸ ἐπίῤῥημα, ἐκ τοῦ ἰωὴ κατὰ συγκοπήν· Τρύφων δὲ λέγει, ὅτι τὸ ὦ τὸ κλητικὸν προσέλαβε τὸ ῑ καὶ ἐγένετο ἰώ. εἶτα τὸ ω περισπᾶται· τὸ δὲ ἰὼ ὀξύνεται, οἷον ὦ Ἄπολλον, ἰὼ Ἀπολλώνιε, ἰὼ Λακεδαῖμον· Ἀλλὰ σχετλιαστικὸν καὶ βακχευτικὸν οὐχ ὑποπίπτει ἀναλογίᾳ· Περὶ παθῶν [1]). Quibus ex annotationibus primum has derivationes nullius esse pretii nemo non videt, praesertim cum tales exclamationes omnino non certo consilio a quadam voce deriventur. Omissis igitur his ineptiis hoc statuendum est: primum hanc interiectionem acuendam esse, tum eam esse epiphonema βακχευτικόν, σχετλιαστικόν, ἀνακλητικόν.

Ita re vera primum ἰώ usurpatur βακχευτικῶς in iis locis, ubi luctu atque timore subito in summam laetitiam conversis chorus saltationes bacchicas instituit ut in Aiac. vv. 694, 704. Legitur enim inde a v. 693: ΧΟ. ἔφριξ' ἔρωτι, περιχαρὴς δ' ἀνεπτάμαν. | ἰω ἰὼ Πὰν Πάν etc. et in v. 707: ἰὼ ἰώ· νῦν αὖ, | νῦν ὦ Ζεῦ etc. Similiter bacchice dictum ἰώ occurrit in Euripidis Baccharum compluribus locis, ita in vv. 576, 78: ΔΙ. ἰώ, | κλύετ' ἐμᾶς, κλύετ' αὐδᾶς | ἰὼ Βάκχαι, ἰὼ Βάκχαι. 580: ΔΙ. ἰὼ ἰώ, πάλιν αὐδῶ. 582: ΧΟ. ἰὼ ἰὼ δέσποτα δέσποτα | μόλε νυν ἡμέτερον εἰς | θίασον, cum in aliis versibus in universum laetitia hac voce significetur ut in Phoen. v. 310, ubi Iocasta filium Polynicem post longum tempus videns exclamat: ἰὼ ἰώ, μόλις φανεὶς | ἄελπτα κἀδόκητα ματρὸς ὠλέναις· vel in Rhes. v. 454: ΧΟ. ἰὼ ἰώ. | φίλα θροεῖς, φίλος Διόθεν εἶ [2]). Deinde etsi

1) de eadem re cf. Zonar. s. v.

2) cf. praet. Soph. Elect. 1232. 1273. Eurip. Ion. 1445. 1453. Phoen. 317. Rhes. 380.

de *ἰώ* vocula *σχετλιαστικῶς* adhibita manifesta est res, tamen quaeritur, nonne aliquantum certius hanc significationem possimus statuere. Qua de causa si exempla huius notionis uberrima accuratius inspiciemus ac primum quidem ea, ubi nullum additamentum accedit, reperiemus, *ἰώ* vel *ἰὼ ἰώ* adhiberi praecipue initio canticorum lamentationem longiorem continentium, imprimis anapaesticorum. Chorus enim vel alia persona alicuius sortem infelicem questurus hac voce in universum praemissa indicat, quae in sequentibus ampliore lamentatione persequitur atque illustrat [1]). In qua postea, si doloris affectus augetur, aliam plerumque interiectionem usurpat. Qua de re accuratius agendi postea nobis obicietur occasio [2]): hic hoc epirrhema in universum levius vel minus efficaciter dici ceteris sufficiat statuisse. Quod praeterea inde aliquantum apparet eidem ex omnibus saepissime aliud vocabulum cuiusvis generis adici. Quin etiam multis in locis doloris significatio fere videtur evanuisse: est *ἰώ* non aliter atque *ὦ* epirrhema *κλητικόν*, ut in Soph. Ant. v. 844: *ἰὼ Διρκαῖαι κρῆναι Θήβας τ' | εὐαρμάτου ἄλσος, ἔμπας ξυμμάρτυρας ὔμμ' ἐπικτῶμαι* etc. vel in Phil. v. 219: *ἰὼ ξένοι | τίνες ποτ' ἐς γῆν τήνδε κἀκ ποίας τύχης | κατέσχετ'* etc. vel in Eurip. Phoen. v. 109: *ΑΝ. ἰὼ πότνια παῖ Λατοῦς | Ἑκάτα* etc. [3]). Accedit porro

---

1) ut in Eurip. Alcest. v. 861 sqq. Med. v. 95 sqq. Troad. 164. Suppl. 1113. etc.

2) cf. p. 47.

3) cf. praet. Soph. Oed. Tyr. 162. Eurip. Hecub. 1088. Elect. 1177. Med. 1251. etc.

X.

φ ε ῦ

epirrhema, quod ut pleraque et semel ponitur et geminatur. Ita invenitur:

1., solum ut in Eurip. Iph. Taur. v. 559: *ΙΦ. φεῦ· ὡς εὖ κακὸν δίκαιον εἰσεπράξατο*, vel in versus fine ut in Trach. v. 987: *ἡ δ' αὖ μιαρὰ βρύκει· φεῦ·* deinde geminatum, ut in Eurip. Helen. v. 777: *ΕΛ. φεῦ φεῦ· μακρόν γ' ἔλεξας, ὦ τάλας χρόνον* [1]).

2., adicitur vocabulum nominativo cum casu ut *τάλας, τλάμων* etc. adiectiva ita in Soph. Aiac. v. 983: *ΤΕ. φεῦ τάλας. τί γὰρ τέκνον | τὸ τοῦδε, κοῦ μοι γῆς κυρεῖ τῆς Τρῳάδος* [2]); vel aliud nomen ut in Eurip. Med. v. 496: *φεῦ δεξιὰ χείρ, ἧς σὺ πόλλ' ἐλαμβάνου* [3]).

3., pendet ex ea genitivus substantivi ut in Soph. Elect. v. 1183: *ΟΡ. φεῦ τῆς ἀνύμφου δυσμόρου τε σῆς τροφῆς.* Sequitur praeterea *φεῦ* vocem geminatam nomen vocativo cum casu, cui accedit genetivus in Eurip. Med. v. 358: *ΧΟ. δύστανε γύναι | φεῦ, φεῦ, μελέα τῶν σῶν ἀχέων.* [4])

4., coniungitur *δῆτα* adverbium affirmativum cum *φεῦ* voce semel posita respiciente ad *φεῦ* priore loco

---

1) cf. praet. Soph. Aiac. v. 1266. Ant. 323. Elect. 842. Phil. 234. Eurip. Alcest. v. 1102. Hec. 955. Heraclid. 718. Hipp. 1078. Iph. Taur. 626. Phoen. 1740 etc. et Soph. Oed. Tyr. v. 964. Oed. Col. 520. Trach. 1016. Eurip. Androm. 183. Herc. fur. 1028. Med. 146. 330 etc.

2) cf. praet. Eurip. Hippol. v. 242.

3) simil. in Soph. Ant. v. 1300. Eurip. Med. 1393.

4) cf. praet. Soph. Elect. v. 920. Eurip. Elect. 120. Hippol. 936. Iph. Taur. 155. 861. Orest. 161. 327. Troad. 584.

collocatum, ut in Soph. Elect. v. 841: *ΧΟ. πάμψυχος ἀνάσσει. ΗΛ. φεῦ. ΧΟ. φεῦ δῆτ'· ὀλοὰ γὰρ ΗΛ. ἐδάμη.* [1])

5., adduntur etiam φεῦ epirrhemati aliae interiectiones, ita sequitur ὦ quod dicitur κλητικόν cum substantivo in Eurip. Herc. fur. v. 217: *φεῦ. | ὦ γαῖα Κάδμου καὶ γὰρ εἰς σ' ἀφίξομαι* etc. vel coniungitur *αἰαῖ* et *φεῦ*, ita in Soph. Oed. Col. v. 1670: *ΑΝ. αἰαῖ φεῦ. ἔστιν ἔστι νῷν δή* etc. [2]).

Iam vero inquirentibus nobis in veterum grammaticorum de hac voce praecepta ea videntur non neglegenda, quae Io. Alexandrinus praescribit l. c. p. 32, 17: *καὶ πάντα ὅσα εἰς τὴν διὰ τοῦ υ δίφθογγον περισπᾶται, εὖ, φεῦ, ποῦ, οὗ τὸ δασυνόμενον.* Suidas autem s. v. haec exhibet: *φεῦ· σχετλιαστικὸν επίῤῥημα· ἢ ὀδυνηρὸν οἰμώγημα· ἔστι δὲ καὶ θαυμαστικὸν τὸ φεῦ. Σοφοκλῆς.* et Hesychius *φεῦ φεῦ· ἴσον τῷ οἴμοι* [3]). Constat igitur, primum φεῦ voculam esse circumflectendam, tum eam esse *ἐπίῤῥημα σχετλιαστικὸν* vel *ὀδυνηρὸν οἴμογμα*, usurpari autem praeterea *θαυμαστικῶς*. Quibus ex praeceptis cum prius non sit dubium, statim paullo accuratius agamus de altero, quaerentes nonne quasdam res, quibus doloris universi vel lamentationis huius vocis sensus, quem veteres illi gramatici ei attribuunt, certius explanetur atque describatur, possimus indagare. Qua de causa diverbiorum praecipue versibus, ubi hoc vocabulum occurrit, diligenter inspectis primum id est observandum, non ita paucis in locis non tam doloris significationem, quam indignationis perspici, quamvis non sit negandum, hanc notionem commixtam

---

1) simil. in Eurip. Troad. v. 584.

2) quo de l. post. ag.

3) cf. praet. Herod. I, 504, 9. Arcad. p. 183, 23. Etym. Gud. 639, 12. Phot. Zonar. s. v.

4) quo de l. post. ag.

saepe cum illius aliqua specie in alio loco magis in alio minus adhuc cognosci. Sed hoc non videtur dubium, quin, si sensus atque natura loci universi indignationis exclamationem poscit, ab his tragicis plerumque haec interiectio usurpetur. Qua de causa hanc significationem ei propriam esse suspicamur. Talem autem indignitationis vel irae vim ei loci imprimis aperte prae se ferunt, ubi inter personas in scaena versantes concertatio quaedam verborum incidit. Ita in Soph. Antig. v. 1047, cum in iis, quae subinde antecedunt, Creo Tiresiam incusaverit lucri gratia sibi eum suadere, ut mortuum sepeliat, hic valde indignatus respondet: *TE. φεῦ. | ἆρ' οἶδεν ἀνθρώπων τις, ἆρα φράζεται* sed interrumpitur a Creonte: *τί χρῆμα; ποῖον τοῦτο πάγκοινον λέγεις*; quibus verbis iam initium concertationis factum est. Similiter adhibetur haec vox in Eurip. Alcest. illo loco, in quo Pheres acerrime reprehensus ab Admeto filio, quod ut senex, qui vitae tempus maximam in partem compleverit, noluerit mori Alcestis loco, respondet, illum esse uxoris mortis auctorem non se, illius igitur fuisset, pro ea mortem obire. Tum Admetus ira atque indignatione affectus exclamat v. 718: *φεῦ | εἴθ' ἀνδρὸς ἔλθοις τοῦδέ γ' εἰς χρείαν ποτέ* [1]). Quae indignationis notio quamvis imminuta atque ita quidem, ut improbationis potius speciem praebeat, tamen aliquantum adhuc perspicua est in iis versibus, ubi hanc exclamationem sententia quaedam sequitur: indicat φεῦ exclamans se ea, quae sequuntur quamvis vera tamen ita se habere improbare atque dolere. Ita in Soph. Aiac. v. 1266 haec inve-

1) cf. praet. Soph. Phil. 1019. 1302. Ant. 323. Elect. 829. 842. Eurip. Alcest. v. 727. Heraclid. 718. Herc. fur. 217. Hippol. 925. 936. Ion. 1312. Med. 1393.

niuntur: *TE.* φεῦ· τοῦ θανόντος ὡς ταχεῖά τις βροτοῖς | χάρις διαῤῥεῖ, vel in Eurip. Med. v. 330: φεῦ φεῦ, βροτοῖς ἔρωτες ὡς κακὸν μέγα[1]). Similis aliqua notio dolori saepe accedit, ubi post φεῦ vocem enuntiatum ponitur, quod vocatur optativum, ut in Soph. Electr. v. 1021: *XP* φεῦ· | εἴθ' ὤφελες τοιάδε τὴν γνώμην πατρὸς | θνήσκοντος εἶναι· πᾶν γὰρ ἂν κατειργάσω, vel in Eurip. Hippol. v. 1414: φεῦ. | εἴθ' ἦν ἀραῖον δαίμοσιν βροτῶν γένος[2]).

Haec autem significatio permultis denique in locis evanuit atque in doloris vel maeroris vim transiit. Quo in usu huius voculae id praeterea est animadvertendum eam non tam dolorem subito excitatum exprimere quam usurpari ab eo, qui de sua aut aliorum sorte desperans lamentis atque questibus se dedit. Ita Polydorus queritur in Eurip. Hecub. v. 55: φεῦ· | ὦ μῆτερ, ἥτις ἐκ τυραννικῶν δόμων | δούλειον ἦμαρ εἶδες, ὡς πράσσεις κακῶς etc. Similiter cum commiserationis vi extat φεῦ in Eurip. Iph. Taur. v. 372: φεῦ. | τίς ἄρα μήτηρ ἡ τεκοῦσ' ὑμᾶς ποτε | πατήρ τ' ἀδελφή τ', εἰ γεγῶσα τυγχάνει; Imprimis vero hunc sensum praebet φεῦ geminatum cum in diverbio tum in canticis. Ita in Soph. Electr. v. 764: *XO.* φεῦ φεῦ· τὸ πᾶν δὴ δεσπόταισι τοῖς πάλαι | πρόῤῥιζον, ὡς ἔοικεν, ἔφθαρται γένος. vel in Eurip. Electr. v. 1327: *ΔΙ.* φεῦ φεῦ· δεινὸν τόδ' ἐγηρύσω | καὶ θεοῖσι κλύειν[3]).

---

1) cf. praet. Soph. Oed. Tyr. v. 316. Eurip. Hecub. 864. 955. Elect. 367. Suppl. 463. Hippol. 431. 925. Med. 330. Orest. 1154.

2) cf. praet. Eurip. Alcest. v. 536. 1102. Hippol. 1078. Iph. Aul. 655.

3) cuius rei, cum vix sit dubia, exempla non videntur adicienda. Uno denique in loco φεῦ videtur esse gaudentis vel laetantis in Soph. Phil. v. 234: φεῦ. τὸ καὶ λαβεῖν

Iam sequitur

XI.

αἰαῖ

interiectio, cuius cum primum de constructione nobis sit agendum, haec sunt, quae videantur dicenda. Ac

1., igitur *αἰαῖ* vocula sola extat ut in Soph. Aiac. v. 430: *AI. αἰαῖ· τίς ἄν ποτ' ᾤεθ' ὧδ ἐπώνυμον | τοὐμὸν ξυνοίσειν ὄνομα τοῖς ἐμοῖς κακοῖς* [1]; vel geminata ut in Eurip. Troad. v. 197: *XO. αἰαῖ αἰαῖ· ποίοις οἴκτοις | τὰν σὰν λύμαν ἐξαιάζεις* [2]).

2., et *αἰαῖ* et *αἰαῖ αἰαῖ* exclamationes cum aliis vocabulis coniunguntur imprimis ut aliae interiectiones cum *δύστανος, τάλας, μέλεος* adiectivis nominativo cum casu positis ita in Soph. Oed. Col. v. 1735: *IΣ. αἰαῖ δυστάλαινα, ποῖ δῆτ' | αὖθις ὧδ' ἔρημος ἄπορος | αἰῶνα τλάμον' ἕξω;* vel in Eurip. Iphig. Aul. v. 404, ubi *αἰαῖ* a *τάλας* vocabulo aliis verbis interpositis secernitur: *ME. αἰαῖ, φίλους ἄρ' οὐχὶ κεκτήμην τάλας* [3]). Sed additur etiam aliud nomen ut substantivum ita in Soph. Phil. v. 1186: *αἰαῖ αἰαῖ δαίμων δαίμων· | ἀπόλωλ' ὁ τάλας* vel adiectivum bis repetitum cum substantivo, ut

---

πρόσφθεγμα τοιοῦδ' ἀνδρός. Quem ad locum recte scholiasta annotat: *θαυμαστικὸν μετ' ἐκπλήξεως τὸ φεῦ ἐνταῦθα.* Vertendum autem est cum Buttmanno: heu, quam dulce est accipere etc.

1) cf. praet. Soph. Ant. v. 1288. Oed. Tyr. 754. Elect. 136. 152. Trach. 969. Eurip. Herc. fur. 913. Suppl. 291. Hippol. 881. Iph. Aul. 137. Cycl. 696. Orest. 855. Troad. 1229. Phoen. 1340 etc.

2) cf. praet. Soph. Aiac. v. 370. Ant. 1290. Phil. 1107. Eurip. Androm. 829. Hel. 210. Hippol. 1347. 1370. Ion. 766. Troad. 197. 1226. Phoen. 1284. etc.

3) cf. praet. Soph. Ant. v. 1310.

in Eurip. Hippol. v. 830: *αἰαῖ αἰαῖ, μέλεα μέλεα τάδε πάθη.*

3., additur nomen genitivo cum casu doloris causam indicans ut in Eurip. Hecub. v. 182: *EK. αἰαῖ, σᾶς ψυχᾶς*. accedit porro talis genitivus ad *αἰαῖ* vocem cum vocativo coniunctam ut in Eurip. Troad. v. 628: *EK. αἰαῖ τέκνον, σῶν ἀνοσίων προσφαγμάτων* [1]).

4., coniunguntur cum *αἰαῖ* vocabulo *μάλα, μάλ' αὖθις, δῆτα* adverbia ut in Troad. v. 722: *AN. αἰαῖ μάλ'. οὐ γὰρ μέτρια πάσχομεν κακά. Μάλ' αὖθις* vero et *δῆτα* particulae respiciunt ad alterum *αἰαῖ* antecedens, ita in Eurip. Troad. v. 629: *αἰαῖ μάλ' αὖθις ὡς κακῶς διόλλυσαι*, cuius versum antecedentem modo attulimus [2]). Similiter *δῆτα* ponitur affirmativa cum vi ut in Eurip. Herc. fur. v. 901: *αἰαῖ κακῶν· | αἰαῖ δῆτα τὸν γεραιὸν ὡς στένω | πατέρα* etc.

5., apponuntur *αἰαῖ* epirrhemati aut ante aut post alia ut in Soph. Oed. Col. v. 1670: *αἰαῖ φεῦ· ἔστιν ἔστι νῷν δή* [3]), vel in Eurip. Hecub. v. 702: *EK. ὤμοι αἰαῖ, ἔμαθον ἐνύπνιον ὀμμάτων ἐμῶν ὄψιν* [4]). Sequuntur deinde tales exclamationes praeterea alia vocabula ita in Oed. Tyr. v. 1307: *OI. αἰαῖ φεῦ φεῦ, δύστανος ἐγώ* vel. in Soph. Elect. v. 1404: *αἰαῖ ἰὼ στέγαι* [5]), vel in Trach. v. 1081: *αἰαῖ ὦ τάλας ἓ ἕ* [6]), tum in Eurip. Hippol. v. 568: *ἰώ μοι αἰαῖ αἰαῖ* [7]).

---

1) cf. praet. Eurip. Herc. fur. v. 900, Hippol. 814, Troad. 579.

2) cf. praet. Eurip. Med. v. 1009.

3) quo de loco post. ag.

4) cf. praet. Eurip. Hippol. v. 594, de quo post. ag.

5) de quo post. ag.

6) quo de versu post. ag.

7) de quo post. ag. praeterea huc spectant Eurip. Hecub. v. 1088, Phoen. 1492.

Tantum de constructione huius epirrhematis. Transeamus nunc ad eius scribendi rationem atque significationem. Ac primum quidem in hoc vocabulo recte exhibendo neque codices neque grammatici veteres satis sibi constant, nam illi aut *αἰ αἰ* praebent aut *αἶ αἶ* cuto cum accentu aut has duas voculas in unam coniungunt multis praeterea in locis accentu et spiritu prorsus omissis. Ex his autem primus Herodianus haec docet l. c. I, p. 502, 18: *Τὰ σχετλιαστικὰ τῶν εἰς οι καὶ αι ἄλογον ἔχει τὸν τόνον. ἃ μὲν γὰρ αὐτῶν περισπᾶται, ὡς τὸ ὀτοτοῖ, ἔχον συμπαρακείμενον καὶ τὸ ἀτααταῖ, καὶ τὸ ὀυαὶ καὶ αἰαῖ, σαβοῖ τε καὶ αἰβοῖ, καὶ τὸ σαβαῖ παρ' Εὐπόλιδι ἐν Βάπταις. τὸ δὲ εὐαί παρὰ τῷ αὐτῷ ὀξύνεται εὐαὶ σαβαῖ, ὡς τὸ αἴ, οὐαί, βαβαί. βαρύνεται δὲ τὸ ὤμοι*[1]), et Arcadius p. 182, 8 . . . *τὸ δὲ αἶ ὀξύνεται ὡς ἔχον τὸ ῖ*[2]), praeterea Zonaras s. v. p. 96: *Αἶ . . . σημαίνει δὲ καὶ ἐπίῤῥημα θρηνητικὸν περισπώμενον καὶ ψιλούμενον, ὃ καὶ διπλασιάζεται.*

Quibus ex codicum scripturis atque grammaticorum praeceptis quamvis inter se discrepantibus tamen haec fere colligi possunt.

Primum enim codices, quanquam saepe neglegenter sunt scripti, tamen miro consensu apud Euripidem semper *αῖ* bis aut quater collocatum exhibent, cum ne apud Sophoclem quidem *αῖ* semel positum legatur. Illi vero tres loci, ubi apud eundem haec vox ter invenitur, propter metrum sunt corrigendi aut deleta aut

---

1) cf. praet. Herodian. l. c. II, 933, 20. Io. Alexand. 36, 12.

2) cf. praet. Io. Alexand. 32, 24. Etym. Gud. p. 13. Apoll. in Bekk. anecd. p. 556, 26.

addita una *αῖ* syllaba, vv. scil. Aiac. 370 [1]). Oed. Tyr. 1307 [2]). Ant. 1267 [3]). 1290. Deinde *αἰαῖ* scriptura duabus voculis in unam conexis ne a codicibus quidem prorsus abhorret. Porro vero Herodianus fide ex illis testibus multo dignissimus hanc *αἰαῖ* vocem re vera extitisse confirmat eam non aliter atque *αἰβοῖ, οὐαῖ, ἀτταταῖ* etc. ut unam vocem afferens, quam in fine esse circumflectendam docet. Quae cum ita sint, apud tragicos semper *αἰαῖ* lectionem circumflexam restituendam esse censemus[4].)

His igitur rebus pertractatis iam pauca sunt dicenda de huius interiectionis significatione. Quae in universum recte ab illis grammaticis, quos commemoravimus, appellatur *σχετλιαστικὸν ἐπιφώνημα* et *θρηνητικὸν ἐπίφθεγμα.* Nam cum perpaucis tantum in locis corporis dolor ea significetur ut in Soph. Trach. v. 1081: *αἰαῖ ὦ τάλας ἒ ἔ | ἔθαλψεν· ἄτης σπασμὸς ἀρτίως ὅδ' αὖ | διῇξε πλευρῶν* etc. in plerisque animi dolor exprimitur, qui natus e causis variis varius est.

Ita nonnullis locis *αἰαῖ* vox metus periculi imminentis speciem prae se fert ut in Eurip. Androm. v. 1073: *ΠΗ. αἰαῖ· πρόμαντις θυμὸς ὥς τι προςδοκᾷ,* in aliis terroris ut in Soph. Oed. Tyr. v. 754: *ΟΙ. αἰαῖ·*

---

1) ubi scribendum est *αἰαῖ αἰαῖ* propter versum antistrophicum 385 ubi *ἰώ μοί μοι* legitur.

2) quem Hermannus restituit.

3) quo de loco post. ag.

4) *αἶ* vero vocem prorsus alienam ab hac *αἰαῖ* exclamatione, cum qua illi grammatici, quorum supra facta est mentio, eam videntur confudisse, re vera existere, sed esse irati vel succensentis, demonstrat Schinckius in dissertationis quam supra commemoravimus p. 5.

τάδ' ἤδη διαφανῆ etc. vel in Eurip. Herc. fur. v. 913: *ΑΓΓ.* τεθνᾶσι παῖδες. *ΧΟ.* αἰαῖ, in plerisque vero haec vox adhibetur ad lamentationes acriores efficiendas imprimis in melicis tragoediarum partibus. Cuius rei cum non sit dubia hic exempla non videntur ascribenda, praesertim cum ea sufficiant, quae supra attulimus, cum de huius interiectionis constructione esset quaestio.

Accedunt denique duae doloris exclamationes frequentissime apud tragicos obviae οἴ, οἴμοι et ὤ, ὤμοι, de quibus nunc deinceps est agendum. Ac primum quidem videamus, quid sibi velit

XII.

οἴ

epirrhema. Quod apud hos tragicos nullo loco solum extat, sed ita semper, ut subsequatur pronomen, cum quo arctissime cohaeret. Ita ei apponitur ἐγώ nominativus, qui aphaeresin perpetitur, ac

1., quidem solus ut in Eurip. Orest. v. 1018: *ΗΛ.* οἴ 'γώ· πρὸ τύμβου γάρ σ' ὁρῶσ' ἀναστένω | ἀδελφέ etc. [1];

2., additur praeterea aut nominativus, ut τλάμων, τάλας (τάλαινα), μέλεος (μελέα). Ita in Eurip. Troad. v. 161: *ΗΜΙΧ.* οἴ 'γὼ τλάμων, τί θέλουσ'; aut vocativus ut in Eurip. Iph. Aul. v. 1279: οἴ 'γώ, μᾶτερ· ταὐτὸν γὰρ δὴ | μέλος εἰς ἄμφω πέπτωκε τύχης [2];

3., sequitur genitivus ut in Eurip. Troad. v. 795: . . . . οἴ 'γὼ πόλεως, οἴμοι δὲ σέθεν, praeterea

---

1) cf. praet. Soph. Aiac. v. 803. Eurip. Hecub. 438. Helen. 594. Orest. 1347. Phoen. 1274.

2) cf. praet. Soph. Elect. v. 674. 1115. Eurip. Hecub. 154. 676. Helen. 685. 857. Orest. 266. Troad. 498. 624. 1272.

accedunt nominativus et genitivus, ut in Eurip. Helen. v. 1223: *ΕΛ. ἄθαπτον· οἴ 'γὼ τῶν ἐμῶν τλήμων κακῶν*[1];

4., correspondet cum priore *οἴ 'γώ* in sequentibus haec formula coniuncta cum *μάλ' αὖθις* adverbio ut in Eurip. Orest. vv. 1018, quem supra attulimus, et 1020: *οἴ 'γὼ μάλ' αὖθις· ὥς σ' ἰδοῦσ' ἐν ὄμμασι | πανυστάτην προσοψιν ἐξέστην φρενῶν.*

Porro vero quod attinet ad *οἴ 'γώ* formulam, id non est neglegendum, in his, de quibus agimus tragoediis eam non usurpari nisi a mulieribus[2].

Pendet igitur deinde ex *οἴ* vocula *μοι* dativus, qui tantopere se applicat atque inclinat ad illud, ut hae duae voculae in unam coalescant. Qua re factum est, ut iam antiquis temporibus nasceretur quasi novum verbum

οἴμοι.

Nam cum multi, qui priore aetate erant editores, exhiberent disiunctim scriptum *οἴ μοι*, cum Brunckio, Dindorfio, Nauckio, aliis censemus coniunctim esse scribendum *οἴμοι*. Qua in re certius demonstranda a codicibus vix quidquam auxilii petendum est; nam ut supra commemoravimus, illi talibus in rebus varias ac falsissimas scribendi rationes praebent. Etenim aut disiunctim inveniuntur in eis duae illae voces, aut in unum vocabulum coniunguntur, aut acuto accentu posito in qualibet syllaba aut circumflexo, aut tenuata *οἴ* particula aut aspirata, aut denique accentu spiritu omnino neglectis. Omissis igitur his codicum ineptiis inquiramus in sequentibus in veterum grammaticorum

1) cf. praet. Eurip. Iph. Aul. v. 1277.
2) cf. exempla, quae supra attulimus cuncta.

testimonia, qui et οἴμοι et ὤμοι coniunctim scripta in interiectionum numero habent eadem ratione atque παπαῖ vel ὀτοτοῖ etc. epirrhemata, quique pluribus quam opus erat in re vix difficili verbis demonstrant, acutum in penultima syllaba esse collocandum. Ita primum οἴμοι unam esse voculam multis disputat verbis Apollonius in libro, quem composuit de adverbiis (cf. Bekkeri anecdota p. 536, 28 et 538, 12), cum de accentu Herodianus l. c. I, p. 9, 14 haec afferat: τὸ μέντοι οἴκοι τοπικὸν ἐπίῤῥημα καὶ οἴμοι σχετλιαστικὸν προπαροξύνονται [1]). Non differunt ab hoc praecepto ea, quae supra ascripsimus tradita ab Ioann. Alexandrino [2]) et Arcadio [3]). Restat, ut in sequentibus huius anaphonematis usus condiciones paullo accuratius persequamur. Qua in re ut in ceteris interiectionibus ita etiam in hac proficiscendum est ab iis locis, ubi

1., invenitur sola ut in Soph. Oed. Tyr. v. 1169: Θε. οἴμοι, πρὸς αὐτῷ γ' εἰμὶ τῷ δεινῷ λέγειν, vel in Eurip. Androm. v. 70: οἴμοι· πέπυσται τὸν ἐμὸν ἔκθετον γόνον [4]);

2., pendet ex ea nomen nominativo aut vocativo cum casu, ita imprimis τάλας et τάλαινα adiectiva, quibus notio, quae in ea inest, magis premitur. Ita in Soph. Elect. v. 788: οἴμοι τάλαινα· νῦν γὰρ οἰμῶξαι πάρα [5]); deinde adicitur ἐγὼ pronomen ut in Eurip.

---

1) cf. praet. l. c. I, 502, 22.
2) cf. l. c. p. 36, 17 sqq.
3) cf. l. c. p. 183, 15 sqq.
4) cf. praet. Soph. Antig. v. 49. 1275. Elect. 1479. Phil. 426. Eurip. Androm. 1066. Hecub. 681. Elect. 215. Hippol. 310. Iph. Taur. 855. Med. 1210. Phoen. 1332. etc.
5) cf. praet. Soph. Aiac. v. 800. Antig. 554. Oed. Tyr. 744. Oed. Col. 828. Elect. 930. 1108. Phil. 416. 622. Eurip. Hecub. 812 etc.

Troad. v. 265: *ΕΚ. οἴμοι ἐγώ· τάφῳ πρόσπολον ἐπεκόμαν.* Apponitur igitur denique *οἴμοι* voci vocativus ut in Eurip. Hecub. v. 191: *ΠΑΞ. οἴμοι μᾶτερ, πῶς φθέγγει | ἀμέγαρτα κακῶν* [1];

3., ex ea aptus est genitivus alicuius nominis ut in Soph. Oed. Col. vv. 1399, 1400: *ΠΟ. οἴμοι κελεύθου τῆς τ' ἐμῆς δυσπραξίας | οἴμοι δ' ἑταίρων* etc. vel in Eurip. Phoen. v. 1345: *Κρ. οἴμοι ξυμφορᾶς βαρυποτμωτάτας* [2], praeterea sequuntur nonnullis locis nominativus et genitivus ut in Soph. Elect. v. 1143: *οἴμοι τάλαινα τῆς ἐμῆς πάλαι τροφῆς | ἀνωφελήτου* etc. non aliter in Eurip. Phoen. v. 1346: *οἴμοι κακῶν δύστηνος ὦ τάλας ἐγώ* [3].

4. etiam huic anaphonemati adiciuntur adverbia, ut *δῆτα* in Eurip. Troad. v. 1231: . . . *ΕΚ. οἴμοι μοι. ΧΟ. οἴμοι δῆτα σῶν ἀλάστων κακῶν.* similiter *μάλ' αὖθις* respiciens ad alterum *οἴμοι*, quod antecedit, in Soph. Oed. Tyr. v. 1316/17: *οἴμοι· | οἴμοι μάλ' αὖθις· οἷον εἰσέδυ μ' ἅμα | κέντρων τε τῶνδ' οἴστρημα καὶ μνήμη κακῶν* [4]. Liceat nobis hoc loco praeterea nonnullos versus commemorare, in quibus *ὡς* coniunctio sequitur, qua in formula *οἴμοι* vox elisionem admittit, ita in Soph. Aiac. v. 587: *ΤΕ. οἴμ' ὡς ἀθυμῶ·* etc. cuius rei apud Euripidem nullum exemplum reperitur [5].

---

1) cf. praet. Soph. Aiac. v. 944. Eurip. Hecub. 180. Troad. 345, ubi *οἴμοι τέκνον* legitur, quod vocativum putamus esse propter id quod ascripsimus Eurip. Hecub. exemplum.

2) cf. praet. Soph. Aiac. 367. Elect. 1179. Eurip. Androm. 394. 846. Bacch. 1248. Herc. fur. 1374. Troad. 115. 796. etc.

3) cf. praet. Eurip. Hecub. v. 1255. Elect. 1109. Orest. 412. Phoen. 373.

4) cf. praet. Soph. Trach. v. 1206.

5) cf. praet. Soph. Aiac. v. 354. Antig. 320. 1270.

Haec fere sunt, quae de οἴμοι voculae usus condicionibus videantur dicenda, quem, si comparamus cum aliis epirrhematis, id est animadvertendum, primum hanc interiectionem non ut illa coniungi solere cum similibus exclamationibus, tum eam non pro vi atque notione auctis saepius repeti. Attamen si doloris significatio magis premitur, adicitur alter μοι dativus. Cuius formulae antiquam scripturam fuisse οἰμοιμοῖ docet Apollonius in Bekk. anecd. p. 588, 25, cui assentitur Dindorfius, hanc lectionem ubique tragicis esse restituendam censens [1]). Sed respicit Apollonius οἰμοιμοῖ exhibens, qua de formula ceteri grammatici tacent, sine dubio ad similes illas exclamationes ut αἰαῖ, οἰοιοῖ, ἀπαππαπαῖ, ὀτοτοῖ, alias. In his vero de accentu aliter rem se habere putamus: nam cum in eis ipsa vocula monosyllaba aut altera vocis ab initio onomatopoëticae pars saepius repetatur, in hac μοι dativus ex interiectione οἴ aptus saepius ei tantum apponitur. Praeterea si in οἰμοιμοῖ formula accentum ita commutamus, nescimus, cur non eundem in modum scribamus οἰμοῖ, quod vetant grammaticorum veterum praecepta. Verisimile igitur est, Apollonii οἰμοιμοῖ lectionem errorem esse natum ex illarum, quas attulimus, ὀτοτοῖ etc. similitudine. Scribendum igitur est οἴμοι μοι acuto posito in prima syllaba. Quae exclamatio aut invenitur sola ut in Eurip. Troad. v. 1230: *ΧΟ.* νεκρῶν ἴακχον *ΕΚ.* οἴμοι μοι [2]), aut cum τάλας adiectivo coniungitur ut in Soph. Phil. v. 780: προσέρχεται τόδ' ἐγγύς. οἴμοι μοι τάλας [3]), aut similibus vocifera-

---

1) cf. eius lexic. Soph. s. v.

2) cf. praet. Soph. Phil. v. 1123. Eurip. Ion. v. 902.

3) alter μοι dativus omissus in cod. restituendus est in Soph. Trach. v. 986, de quo post. ag. cf. praet. Eurip. Hippol. v. 1350.

tionis vocibus apponitur ut in Soph. El. vv. 1160, 1161: *οἴμοι μοι* · | *ὦ δέμας οἰκτρόν, φεῦ φεῦ.* | *ὦ δεινοτάτας, οἴμοι μοι* [1]).

Quibus rebus absolutis iam pauca liceat afferre de huius epirrhematis significatione, quae quidem vix dubia esse potest. Nam ut illi grammatici veteres recte monent, etiam hoc est anaphonema *σχετλιαστικόν* [2]): exclamant enim re vera *οἴμοι* et dolentes et perterriti et sollicitati vel trepidantes. Qua de significatione huius vocis cum postea sit uberius agendum, nunc tantum paucos locos enumeremus, in quibus insolita quaedam notio inest. Putamus enim primum *οἴμοι* exclamationem indignationis vim nonnullis in locis prae se ferre. Ita in Soph. Antig. v. 320, ubi res est haec: Custos nuntiavit Creonti, mortuum Polynicem ab aliquo sepultum esse, quem inferiis ex more factis effugisse. Qua re audita maxima ira inflammatus respondet Creo, bene se scire, ipsos custodes pecunia corruptos facinus illud commisisse, quo ipse acerrime animo mordeatur. Ille autem, hoc se fecisse, negans dicit, auctorem facti ignotum animum ei contristare, se tantum aures, cum nuntius veniat. Tum Creo etiam diffidens custodi exclamat: *οἴμ' ὡς ἄλημα δῆλον ἐκπεφυκὸς εἶ*,[3]).

Adhibetur denique etiam haec interiectio ad corporis dolorem indicandum in illa Philoctetae lamentatione atque vociferatione, cuius saepius facta est mentio, in Soph. scilicet Phil. vv. 780 sqq. [4]).

Iam sequuntur postrema

1) quibus de versibus post. ag.

2) cf. praet. Hesych. Suid. s. v.

3) cf. praet. Soph. Antig. v. 86. Eurip. Bacch. 805. Hippol. 1064. Ion. 832. Cycl. 687.

4) cf. praet. Soph. Elect. v. 1408. simil. *οἴμοι μοὶ* dicitur in Soph. Trach. v. 986.

XIV.

ὦ et ὤμοι

epirrhemata. Ac primum quidem de ὤ vocula Ioannes Alexandrinus l. c. p. 32, 3 praescribit, hoc ὤ σχετλιαστικόν accentu discernendum esse ab ὦ quod κλητικόν vocatur, his verbis: καὶ τὸ ὦ κλητικὸν περισπᾶται „ὦ ἄνθρωπε“ ὅτι δὲ σχετλιαστικὸν ὀξύνεται „ὤ τί σ' εἴπω“ [3]). Similiter Thomas Magister p. 930 (408 Ritsch.) haec docet: τὸ ὦ μετὰ τῆς κλητικῆς οὐδέ ποτε ὀξύνεται, εἰ καὶ ἔκπληξιν ὁ λόγος ἔχει καὶ θαῦμα. οἷον ὦ Ἡράκλεις, ὢ θαῦμα θαυμάτων· οὐ γὰρ τὸ ὦ μόνον ἐν τούτοις ἐμφαίνει τὴν ἔκπληξιν καὶ τὸ θαῦμα, ἀλλὰ μετὰ τῶν κλητικῶν. ὅτε δὲ ἐπάγεται γενικῇ, ἐξ ἀνάγκης ὀξύνεται· τότε γὰρ πάντως ἡ σχετλιαστικόν ἐστιν, οἷον ὤ τοῦ ξένου μετάλλου. διὸ καὶ τὴν γενικὴν ἔχει ἐπαγομένην λαμβανομένου ἔξωθεν τοῦ ἕνεκα et Hesychius s. v.: Ὤ θαυμαστικῶς. λίαν, οἷον· ὢ βάθος πλούτου καὶ σοφίας καὶ γνώσεως θεοῦ. ὤ ἐπίῤῥημα σχετλιασμοῦ [1]). Quibus ex praeceptis cum veteres ipsos has duas voculas distinxisse pateat, Dindorfio putamus esse assentiendum, qui ὤ oxytonum nominativis genitivis vocativis et aliis vocabulis lamentantium vel mirantium praeponi, sibi persuasit, perispomenon vero alloquentium formulis, etsi haec quoque non raro lamentantium vel mirantium sint [2]). Inquirentibus vero nobis paullo accuratius in huius ὤ acuti usus condiciones haec videntur annotanda.

1., igitur extat solum ut in Eurip. Electr. 113, 128: ὤ ἔμβα, ἔμβα κατακλαίουσα, similiter imperativo

1) cf. praet. Herod. I, 494, 2.
2) cf. praet. Etym. Magn. 79,13. Etym. Gud. 376,41.
3) cf. eius lexic. Soph. s. v.

praeponitur in eiusdem poëtae Hec. v. 1093: ὦ Ἰθι-μόλετε πρὸς θεῶν. Tum ὤ exclamat, qui dolore superatus sermonem interrumpit, ut in Oed. Col. v. 220: ΟΙ. Λαΐου ἴστε τιν' ὤ ΧΟ. ἰοὺ ἰού. vel in Eurip. Suppl. v. 807: ΑΔ. ἐπάθομεν ὤ ΧΟ. τὰ κύντατ' ἄλγη κακῶν [1]).

2., ut recte Dindorfium monuisse supra commemoravimus, cum ὤ σχετλιαστικῶς vel θαυμαστικῶς dicto aliud vocabulum coniungitur, sed in iis, quae codices conservaverunt, quamvis perpaucis exemplis huius rei semper adicitur unum ex illis adiectivis, quibus doloris vis augetur magisque premitur, quaeque etiam aliis epiphonematis accedere, saepius monuimus, τάλας, μέλεος, δύστανος, τλάμων. Ita in Soph. codice optimo haec vox ita adhibita in his locis reperitur: in Antig. v. 1211 .... ὤ τάλας ἐγώ, | ἆρ' εἰμὶ μάντις; vel in Aiac. v. 981: ΤΕ. ὤ τάλας ἐγώ, τάλας praeterea in Soph. Ant. v. 1319 et in Philoct. v. 254 et in Eurip. Orest. v. 90: ΕΛ. ὤ μέλεος, ἡ τεκοῦσά θ' ὡς διώλετο. Sed cum valde videatur verisimile, hoc ὤ oxytonon propter harum vocum similem speciem atque naturam in libris veteribus saepe confusum esse cum ὦ circumflexo, quod κλητικόν appellatur, nescimus an illud potius sit restituendum in his locis eis, quos supra annotavimus, simillimis:

In Soph. Oed. Tyr. v. 1236. Oed. Col. 847. 1338. 1402. 1438. Aiac. 372. 410. Ant. 379. Elect. 887. 1209. Trach. 377. Phil. 744. 1083. 1102. 1103. 1152. praeterea in Eurip. Alcest. v. 1068. Androm. 70. 1201. Hecub. 514. 813. 1075 [2]). Helen. 461. 791. 862.

1) praeterea ὤ solum praebent hi versus: Eurip. Bacch. 590. 1168 (de quo post. ag.) Ion. 1063. Hippol. 362. Troad. 335. Rhes. 885 (de quo post. ag.)

2) de quo post. ag.

Heraclid. 76. Herc. fur. 550. Suppl. 273. 606. Hippol. 300. 822 [1]). 1090. 1460. Iph. Aul. 536. 876. 1315. Ion. 764. Orest. 131. Phoen. 623. 1335. 1337. 1346. 1599. Accedunt alia exempla, in quibus illi doloris adiectivo genetivus apponitur, ut in Eurip. Androm. v. 1178. Helen. 137. 240. Hippol. 570. Med. 1028. Orest. 670. 1285. Iph. Taur. 869.

3., coniungitur etiam hoc epirrhema cum aliis eiusdem generis vocabulis ut in Soph. Oed. Col. v. 224: *ΧΟ. ἰὼ ὢ ὤ. ΟΙ. δύσμορος. ΧΟ. ὢ ὤ* [2]).

In his vero, quos enumeravimus, versibus cunctis ὢ exclamatio est dolentis, cum vim alteram, quam veteres illi grammatici indagasse sibi videntur, admirationis [3]), in his putemus esse conspicuam: in Eurip. Bacch. v. 590: *σέβετέ νιν· σέβομεν ὤ.* Similis notio etiam in Eurip. Rhes. v. 885 videtur inesse, ubi codices *ἔα ἔα ὢ ὤ* scripturam praebent. Sed putamus restituendum esse *ἔα ἔα ὤ ὤ* vocibus ὤ acutis. Similiter denique atque *ἰώ* videtur ὢ epirrhema usurpatum *βακχευτικῶς* in Troad. v. 335: *βοάσατ' εὖ τὸν Ὑμέναιον, ὤ, | μακαρίαις ἀοιδαῖς | ἰαχαῖς τε νύμφαν* [4]).

Quibus de ὢ voce explicatis, cum transeamus ad

ὤμοι

exclamationem, primum de eius scribendi ratione conferendae sunt veterum grammaticorum illae animadversiones, quas supra sub *οἴμοι* voce attulimus [5]). Prae-

1) de quo post. ag.
2) de quo post. ag.
3) de qua cf. praet. Valckenar. ad Theocr. Adoniaz. v. 124. Brunck. ad Aristoph. Thesmophor. v. 160.
4) cf. praet. Eurip. Bacch. v. 1168 (de quo post. ag.)
5) cf. p. 35.

terea autem Suidae annotatio non prorsus videtur neglegenda. Hic enim affert sub voce *ᾦμοι*: *ᾦμοι· οἴμοι ἐπίῤῥημα σχετλιαστικόν* addito iota *ὦ* litterae et similia traduntur in Etym. Magn.: *ὤμοι· ἔστιν ἀναφώνημα λύπης δηλωτικόν. Ἐκ τοῦ οἴμοι κατὰ ἔκτασιν τοῦ ο εἰς ω ᾦμοι. εἴρηται γὰρ καὶ οἴμοι δι' ἑνὸς Μ. Εἰ δὲ γράφεται χωρὶς τοῦ ι, γίνεται ἀπὸ τοῦ Ὦ, ὤμοι.* Videtur igitur praeter id, quod est *ὤμοι* et *οἴμοι*, tertia similis vox quondam in usu fuisse derivata ab hac per *ἔκτασιν* litterae *ο* ascripto iota. Quae vocula etiam in codicibus saepius occurrit ut in Sophoclis optimo in Phil. v. 1086, ubi *ὤι μοι μοι μοι* extat, similiter in Aiac. v. 367. 946, O. Col. 819 etc. Sed primum id statuendum videtur, codicis lectiones talibus in rebus fere nullius esse pretii, ut saepius monuimus. Itaque cum in eis iota littera saepissime ascribatur inepte ad quamlibet longam vocalem, cuius rei unaquaque fere in pagina exempla extant, etiam in hac voce, de qua agimus, eam delendam esse, fit verisimile. Non maiore auctoritate censemus esse praecepta grammaticorum, quae ascripsimus: sunt hi errores nati e falsa vocis *ὤμοι* interpretatione vel derivatione. Hoc enim constat: ut ex *οἴ* epirrhemate atque *μοι*, dativo fit *οἴμοι* vocula, ita existit ex *ὦ* atque eodem dativo *ὤμοι*[1]). Praeterea vero semper talibus in rebus id animadvertendum est, haec anaphonemata non scienter atque artificiose a qualibet voce derivari, sed cum saepius coniungantur cum eis certa quaedam vocabulorum genera, nova quasi sua sponte coalescere. Sed haec de hac re vix dubia sufficiant dicta. Restat, ut in iis, quae sequuntur, paucis persequamur huius vocis usus ratio-

---

1) cf. Blomfield. ad. Aeschyl. Agam. v. 1314.

nes. Quae in universum non differunt ab *οἴμοι* vocula huic simillima. Nam

1., etiam haec invenitur sola, ita in Soph. Philoct. v. 1229: *ΟΔ. τὸν ποῖον; ὤμοι· μῶν τι βουλεύει νέον;* vel in Eurip. Phoen. v. 1494: *ὦ Πολύνεικες, ἔφυς ἄρ' ἐπώνυμος, ὤμοι, Θήβαις* [1]).

2., coniungitur cum *ἐγώ*, vel *τάλας* vocabulis ita in Aiac. v. 340: *ΤΕ. ὤμοι τάλαιν'· Εὐρύσακες, ἀμφὶ σοὶ βοᾷ* [2]). vel in Eurip. Hecub. v. 1056: *ΠΑΜ. ὤμοι ἐγώ, πᾷ βῶ.* [3]) vel cum utroque ut in Eurip. Androm. v. 113: *ὤμοι ἐγὼ μελέα, τί μ' ἐχρῆν ἔτι φέγγος ὁρᾶσθαι.* vel cum alio nomine atque vocativo quidem cum casu ut in Eurip. Iph. Taur. v. 870: *δεῖν' ἔτλαν, ὤμοι σύγγονε* [4]).

3., ex ea pendet genitivus ac primum quidem solus ut in Soph. Aiac. v. 980: *ΤΕ. ὤμοι βαρείας ἄρα τῆς ἐμῆς τύχης.* [5]) vel coniunctus cum nominativo ut in Eurip. Hippol. v. 591: *ΧΟ. ὤμοι ἐγὼ κακῶν· προδέδοσαι, φίλα* [6]).

4., ei apponuntur adverbia, ita *ὤμοι* priore loco collocatum sequitur *ὤμοι μάλ' αὖθις* in Soph. Elect.

---

1) cf. praet. Soph. Aiac. v. 901. Oed. Col. 529. Elect. 1415. Phil. 1265. Eurip. Hecub. 1124. Helen. 540. 688. Herc. fur. 485. 1066. Med. 1399. Cycl. 663. Troad. 138. Rhes. 903 etc.

2) cf. praet. Soph. Ant. v 1341. Phil. 934.

3) cf. praet. Soph. Oed. Col. v. 216. Eurip. Androm. 1173.

4) cf. praet. Eurip. Ion. v. 763. Soph. Oed. Col. v. 213.

5) cf. praet. Soph. Aiac. v. 909, ubi cod. La falso *ἰώ μοί* praebet, Antig. 1265. Oed. Col. 202. Eurip. Hecub. 475. 476. 1098. Helen. 676, Phoen. 1551, quo de loco post. ag.

6) cf. praet. eiusd. trag. v. 817. Rhes. 902. Soph. Trach. v. 972, de quo post. ag.

v. 1415/16: *ΚΛ. ὤμοι πέπληγμαι ΗΛ. παῖσον εἰ σθένεις, διπλῆν. ΚΛ. ὤμοι μάλ' αὖθις*·[1]) etc. aut adicitur *μάλα* solum ut in Eurip. Cyclop. v. 665: *ΚΥ. ὤμοι μάλ', ὡς ὑβρίσμεθ' ὡς ὀλώλαμεν.*

5., *ὤμοι* epiphonema additur aliis, ut in Eurip. Hecub. v. 702: *ΕΚ. ὤμοι, αἰαῖ, ἔμαθον ἐνύπνιον ὀμμάτων | ἐμῶν ὄψιν,* etc. similiter dicitur in Phoeniss. vv. 1550 et 1559: *ὦ πάτερ ὤμοι.*

6., praebent nonnulli loci *ὤμοι* vocem pro eius vi auctam repetito *μοι* dativo ac primum quidem bis posito in Soph. Antig. v. 1317: *ΚΡ. ὤμοι μοι, τάδ' οὐκ ἐπ' ἄλλον βροτῶν* etc. vel in Eurip. Androm. v. 513: *ΜΟ. ὤμοι μοι, τί πάθω; τάλας | δῆτ' ἐγὼ σύ τε, μᾶτερ*[2]). Deinde adicitur et huic exclamationi genitivus ut in Soph. Oed. Col. v. 982: *ΟΙ. ἔτικτε γάρ μ' ἔτικτεν, ὤμοι μοι κακῶν.* Ter denique *μοι* vox ponitur in Soph. Phil. v. 1086: *ὤμοι μοί μοι,* cui lectioni respondet *αἰαῖ αἰαῖ* in v. 1106.

Quod vero attinet ad huius epirrhematis significationem, haec videntur dicenda. Exprimit in nniversum *ὤμοι* interiectio omnibus fere in locis dolorem vel maerorem, qui sensus nonnunquam tantum in metus notionem transit ut in Phil. v. 1263 sqq., ubi haec extant: *ΦΙ. τίς αὖ παρ' ἄντροις θόρυβος ἵσταται βοῆς; | τί μ' ἐκκαλεῖσθε; τοῦ κεχρημένοι, ξένοι; | ὤμοι· κακὸν τὸ χρῆμα. μῶν τί μοι μέγα | πάρεστε πρὸς κακοῖσι πέμποντές κακόν;* aut indignationis speciem potius prae se fert ut in Eurip. Ion. v. 984: *ΠΑΙ. ὤμοι, χαλίζει· φέρε, σὺ νῦν βούλευέ τι,* quanquam dubitari potest, num praeferendum sit hoc loco *οἴμοι,* quod cod. C praebet, aut di-

1) cf. praet. Eurip. Hecub. vv. 135, 137.

2) cf. praet. Soph. Aiac. v. 610. Eurip. Androm. 535. 1070. 1206. Orest. 1381. 1465. Hecub. 158.

citur de corporis malis ut in Eurip. Cyclop. v. 663: *KY.* ὤμοι κατηνθρακώμεθ' ὀφθαλμοῦ σέλας [1]). Videtur igitur haec vox prorsus eadem significare atque οἴμοι epirrhema. Sed cum vix sit credibile, veteres poëtas ne minimis quidem in rebus artem neglegentes has exclamationes ratione omnino non habita neque delectu facto admisisse, sed cum suspicari potius liceat, eos etiam in his rebus levioribus certas sibi quasdam regulas ac normas scripsisse, iam videamus, nonne οἴμοι et ὤμοι voculas si non prorsus significatione segregare, attamen in utroque paullo diversa eiusdem notionis specie indagata certius aliquantum definire possimus.

Respectis igitur accuratius locorum naturam, qui eas praebent, id praecipue non est omittendum, οἴμοι vocem plerumque usurpari in diverbio, quippe in quo novae res aut accidant aut accidisse nuntientur, cum ὤμοι imprimis in canticis inveniatur, ubi dramatis personae ea, quae evenerunt, longioribus atque acrioribus lamentationibus conquerantur. Nam quanquam tantum abest, ut et ὤμοι voculam prorsus abhorrere a diverbio et οἴμοι a melicis tragoediarum partibus obtineamus, etsi propter codicum scriptorum his in rebus aperte conspicuam neglegentiam non sine veritatis sit specie, has duas voces nonnunquam inter se permutatas esse, ut in universum utroque in loco utramque ferri concedamus, tamen ex exemplis ad unum omnibus collectis [2]) patet, in dialogo praeferri οἴμοι, in canti-

---

1) cf. praet. Soph. Elect. v. 1415. 1418. Eurip. Hecub. 135. 137. 1035. 1037. Cycl. 665.

2) Illam vero, quam supra proposuimus, οἴμοι vocis naturam id videtur praeterea commendare, quod permultis in locis hoc anaphonema sequitur enuntiatum interrogativum: is enim, quem dolor subito invadit, re nova aut conspecta aut audita quaerit, num re vera hoc malum acciderit, num vera si

cis *ὤμοι*. Videntur igitur hae voculae ita inter se

---

nuntientur aut perterritus quid factu, dictu opus sit, nescit. Ita *οἴμοι* voci adduntur hae interrogationes: *τί λεύσσω; τί λέξεις, τί εἶπας* vel *τί δράσω, τί φῶ, ποῖ φύγω*, similes.

Qua cum ratione praebent *οἴμοι* hi loci diverbiorum:

1., apud Sophoclem: Aiac. v. 791. 800. 809. 920. 1024. Antig. 554. Oed. Tyr. 1033. Oed. Col. 828. 1254. 1427. Elect. 883. 926. 930. 1108. 1475. Trach. 375. 741. 1133. 1203. Phil. 332. 622. 917. 969. 976. 1063. 1350.

2., apud Euripidem: Alcest. v. 380. Andr. 70. Hecub. 419. 511. 712. 812. 1196. Electr. 243. 1132. 1146. 1157. Suppl. 1080. Hippol. 353. 799. 1051. Iph. Aul. 442. Iph. Taur. 1028. Ion. 1113. Cycl. 193. Med. 1271. 1310. Orest. 849. 1610. Phoen. 1310.

Accedunt senarii hi, in quibus tale enuntiatum non adicitur:

1., Sophoclis Aiac. v. 587. 1002. Antig. 49. 82. 86. 320 1105. 1270. Oed. Tyr. 744. 1169. 1419. Oed. Col. 1399. 1400. Elect. 788. 1143. 1179. 1479. Trach. 1145. 1206. 1230. 1241. Phil. 363. 416. 426. 978. 995.

2. Euripidis: Alcest. 1066. Androm. 384. 394. 435. 443. 693. 1066. Bacch. 805. 1248. Hecub. 681. Helen. 1205. 1252. 1255. Elect. 215. 290. 1109. Herc. fur. 1340. 1374. Suppl. 156. 769. Hippol. 310. 874. 1064. 1313. Iph. Aul. 742. Iph. Taur. 291. 361. 855. Ion. 359. 832. 923. 966. Cycl. 589. 687. Med. 899. 1210. Orest. 253. 412. 722. 859. Troad. 345. 720. 1187. Phoen. 373. 1332.

Invenitur igitur *οἴμοι* in diverbio in summa 121ies cum in canticis occurrat in his versibus:

1., Sophoclis Aiac. 219. 354. 367. 944. Antig. 838. 933. 1271. 1275. 1294. Oed. Tyr. 1316. 1317. Elect. 1408. Trach. 973.

2., Euripidis Alcest. 257. 273. 914. Androm. 846. Hecub. 180. 191. Elect. 201. Herc. fur. 1051. Iph. Aul. 136. Iph. Taur. 154. 186. 216. Med. 117. Troad. 115. 176. 265. 796. 1231. Phoen. 1345. 1346, in summa igitur tantum 33ies.

Iam accedamus ad *ὤμοι* vocem, ubi res in contrarium

differre, ut *οἴμοι* indicet dolorem novis aut modo commemoratis rebus natum, cum *ὤμοι* maerorem illum significet, qui ita iam inveteravit atque insedit in lamentantis pectore, ut aut in desperationem potius aut in sortis humanae contemptionem et despicientiam transiret [1]). Quibus cum significationibus harum vocum ne plerique quidem ex eis locis discrepant, ubi *ὤμοι* in diverbiorum et *οἴμοι* in canticorum partibus extat [2]).

---

vertitur: nam extat haec interiectio in canticorum versibus his:

1., Sophoclis Aiac. 901. 910 (in quo cod. La. praebet *ἰώ μοι*, sed hanc *ὤμοι* scripturam poscit v. antistr. 954) 1205. 233. Antig. 1265. 1341. Oed. Col. 202. 213. 216. 519. 529. Elect. 1415. 1418. Trach. 972 de quo post. ag.

2., Euripidis Andr. v. 113. 1173. Hecub. 475. 476. 702. 1056. 1098. Helen. 676. 688. Herc. fur. 1066. Hippol. 591. 817. Iph. Taur. 870. Ion. 763. 1472. Med. 1399. Troad. 138. 578. 1091. Phoen. 1494. 1550. 1551. 1559. Rhes. 902., 903. in summa igitur 39ies et in diverbii versibus his:

1., Sophoclis Aiac. 980. Oed. Col. 819. Phil. 934. 1229. 1265.

2. Euripidis Hecub. 135. 137. 1124. 1035. 1037. Helen. 540. Herc. fur. 485. 1401. Cycl. 228. 663. 665. in summa 16ies.

Libri vero fluctuant in his locis: Soph. Aiac. v. 340, ubi unum tantum apographum *οἴμοι* praebet Eurip. Hippol. 1446 (*οἴμοι* E c *ὤμοι* BC abd. *BC*) 1454 (*οἴμοι* B *ὤμοι* CE abcd *BC*) Ion. 984 (*οἴμοι C ὤμοι B*) Med. 1371 (*οἴμοι* cd *ὤμοι BC*) in quibus *οἴμοι* praetulerimus.

1) quam in notionem ita definitam harum vocularum id praeterea valde quadrat, quod, cum *οἴμοι* plerumque initio versus inveniatur, *ὤμοι* non ita raro medio aut extremo in versu se offert ut in Soph. Aiac. v. 1205. Antig. 1341. Herc. fur. 1066. Iph. Taur. 870. Phoen. 1494. 1550. 1559. Rhes. 903 etc.

2) quibus e versibus ad hanc rem diiudicandam ii ni-

Breviter postremum est attingendum

XV.

ὠή

vocabulum, quod cum apud Sophoclem omnino non extet, apud Euripidem haud raro occurrit. Quo nisi cum μάλ' αὖθις adverbio ut in Eurip. Phoen. vv. 1067 et 1069 cum nullo vocabulo coniuncto inclamantur aut in universum personae extra scenam versantes aut peregrini invocantique ignoti aut appropinquantes aut abeuntes. Ita dicitur in Hel. v. 435: ὠή. τίς ἂν πυλωρὸς ἐκ δόμων μόλοι, | ὅστις, διαγγείλειε τἄμ' εἴσω κακά; vel in eiusdem tragoediae v. 1180: ὠή, χαλᾶτε κλῇθρα· λύεθ' ἱππικὰς | φάντας, ὀπαδοί, κἀκκομίζεθ' ἅρματα. vel in Cycl. v. 51: ὠή, ῥίψω πέτρον τάχα σου· vel in Phoen. v. 269: ὠή, τίς οὗτος; ἢ κτύπον φοβούμεθα; [1]).

Quo de epirrhemate cum nihil sit, quod adiciamus, iam numerum interiectionum apud Sophoclem Euripidemque obviarum absolvimus. Vidimus igitur, ut paucis repetamus, quae demonstrasse nobis videmur, haec epirrhemata et constructione inter se differre, cum alia sola tantum inveniantur, alia coniungantur cum nominativo aut vocativo casibus, alia praeterea cum genitivo aut dativo, cumque ad alia accedant adverbia ad alia eiusdem generis vocabula, neque quod attinet ad significationem quamquam sunt similia, omnia prorsus idem valere. Quam ad rem pauca videntur adicienda. Doloris enim vis imprimis in quinque exclamationibus inest, in ἰώ, αἰαῖ, οἴμοι, φεῦ, ὤμοι vo-

---

mirum nihil valent, in quibus corporis dolor his vocibus significatur.

1) cf. praet. Eurip. Herc. fur. v. 1106. Iph. Taur. 1304. Ion. 906.

cibus. Quaeritur igitur, nonne in eis gradus quidam huius significationis perspiciatur. Quam disquisitionem ut solvamus, melicas tragoediarum, de quibus agimus, partes accuratius inspiciendas esse putamus atque eas quidem, quarum natura universa talem gradum indicare atque commendare videtur.

Ac primum quidem *ἰώ* voculam, etsi multum concedimus interesse, qualis exclamatio ei accedat, tamen in universum minus esse efficacem ceteris, interiectionum ordo demonstrat in his versibus conspicuus: invenitur enim in Soph. Aiac. v. 1197: *ἰὼ πόνοι*, in v. 1205: *ὤμοι*, in Antig. v. 1266: *ἰώ παῖ*, v. 1267: *αἰαῖ αἰαῖ*, in v. 1284: *ἰὼ ἰώ*, in v. 1288: *αἰαῖ*, 1290: *αἰαῖ αἰαῖ*, in Oed. Tyr. v. 1313: *ἰὼ σκότου νέφος* etc., in v. 1316: *οἴμοι*, 1317: *οἴμοι μάλ' αὖθις*, in v. 1321: *ἰὼ φίλος*, 1324: *φεῦ φεῦ*, in Eurip. Supplic. v. 805: *ἰὼ ἰώ*, v. 806: *αἰαῖ*, in Hippol. v. 811: *ἰὼ ἰώ τάλαινα* etc. v. 813: *αἰαῖ τόλμας* etc.[1]).

Sequuntur deinde pro notionis vi atque gravitate *οἴμοι* et *αἰαῖ* voces, e quibus illud levius dici videtur hoc, cum ei antecedat in his locis: in Eurip. Hecub. vv. 180. 182. Iph. Aul. 136. 137. Iph. Taur. 216. 217., contra si idem vocabulum sequitur, tum aliquo verbo addito magis premitur. Ita extat in Soph. Elect. v. 1404: *αἰαῖ ἰὼ στέγαι*, 1409: *οἴμοι τάλαιν'*, in Eurip. Hippol. 1347: *αἰαῖ αἰαῖ*, 1350: *οἴμοι μοι*, Troad. 1229: *αἰαῖ*, 1230: *οἴμοι μοι*, 1231: *οἴμοι δῆτα σῶν κακῶν* etc. in Phoen. v. 1340: *αἰαῖ*, 1345: *οἴμοι ξύμφορας*, 1346: *οἴμοι κακῶν δύστηνος*. Gravissimae denique ex illis exclamationibus sunt *ὤμοι* et *φεῦ* (*φεῦ φεῦ*). Leguntur

---

2) cf. praet. Soph. Antig. vv. 1261. 1265. Elect. 150. 152 et 840. 842. Eurip. Herc. fur. vv. 887. 888. 890. 893. 900. 901. Rhes. v. 728,

enim in Soph. Antig. vv. 1271: *οἴμοι*, 1275: *οἴμοι*, 1276: *φεῦ φεῦ*, et in vv. 1294: *οἴμοι*, 1300: *φεῦ φεῦ*, in Trach. vv. 986: *οἴμοι μοι*, 987: *φεῦ*, in Eurip. Alcest. vv. 873: *αἰαῖ*, 875: *φεῦ φεῦ*, in Hec. vv. 154: *οἴ 'γὼ μελέα*, 158: *ὤμοι μοι*, in Orest. vv. 1375: *αἰαῖ*, 1381: *ὤμοι μοι*, in Troad. vv. 130: *αἰαῖ*, 138: *ὤμοι*[1]).

Alteram commentationis partem, in qua de interiectionum metricis rationibus agitur, posteriore tempore occasione oblata editurus sum.

1) cf. praet. Soph. Elect. vv. 827. 829. et 1404. 1409. 1415. 1146. Phil. vv. 426. 428. Eurip. Hippol. vv. 1347. 1350. 1358. Iph. Taur. vv. 154. 155. Med. vv. 143. 136. Orest. 1454. 1465. Phoen. vv. 1492. 1494.

